

NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
12
26 P
9



NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
55
2 C
9
ROMA










BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
26 P
9

INSTITUTIONES

MEDICINAE PRACTICAE

QUAS

AD USUM JUVENTUTIS

DIGESSIT

PETRUS ALOYSIUS VALENTINI

EX COLLEGIO MED. CHIR.

IN ROMANA UNIVERSITATE PROFESSOR

IN NOSOCOMIIS S. SPIRITUS S. MARIAE DEMENTIUM

S. JOANNIS NATIONIS FLORENTINAE

MEDICUS PRIMARIUS

ET IN EORUM PRIMO PHYSIOLOGIAE LECTOR

AC PLURIUM ACADEMIARUM SOCIUS.

VOL. IX.

SECUNDUM ORDINEM MORBORUM
NERVEI SYSTEMATIS
COMPLECTENS



ROMAE

Ex typographia Contedini 1846.

Ad Thermas Agrippae.



ORDO SECUNDUS

Neuroses vitae organicae

GENUS PRIMUM

Hypochondriasis

§. 1811. Neuroses vitae organicae a morboso statu nervorum proficiscuntur ad hanc vitam pertinentium. Plures inde turbantur functiones, quae sub illorum influxu persolvuntur, quamvis ab imperio nervorum vitae animalis omnino solutae non sint. Etenim plurimae sunt nervorum anastomoses utriusque vitae; plura nervea fila ad vitam animalem spectantia. quae per organa vitae organicae disperguntur. Haec est ratio probabilis, et fere evidens, quare vehementes animi affectus functiones commoveant hujusce vitae; et rursus quare caussae morbosae, quae ventriculum, intestina, vesicam urinariam, aliaque abdominis viscera tentant, non raro



illas intellectus laedant, et conturbent. Ex hac animadversione liquet, quam immerito plures rerum practicarum, alioquin doctissimi, scriptores hypochondriasin, quae saepe facultates intellectuales, praesertim imaginationem offendit, inter cerebri morbos, interque vesanias collocant, dum ejus praecipua sedes in hypochondriis est.

§. 1812. Hypochondriasis, vel hypochondriacus morbus, est affectio universalis et chronica, in qua propter apparentem morbosam conditionem hypochondriorum quaedam invertuntur functiones, maxime digestionis, et interdum tam imaginatio depravatur, ut aegrotantes sine ratione ingentia, et imminentia de propria salute timeant pericula. Hic morbus a Grecis vocatur ὑποχονδριακὸν πάθημα, idest affectio hypochondriaca, quia ab ipsis credebatur habere sedem in regione hypochondriaca, a qua sicut a centro universum deinde nervorum systema, praecipue illud vitae organicae concitari. Haec quidem opinio non est fundamento destituta; nam

hypochondriasis in hominibus comparet, cum circulatio sanguinis in visceribus abdominis, potissimum in hepate et liene lentescere incipiat. Antiquitus vero hypochondriasis fuit etiam nuncupata πάϑος φυσῶδες, seu affectio flatulenta, quia sub ea evolvuntur flatus, a quibus ea oriri putabatur. Scriptores vero non conveniunt quoad locum, quo ponenda sit sedes hujusmodi affectionis. Non solum enim ab aliis haec inter cerebri morbos, et inter dementias numeratur; sed ab aliis inter ventriculi morbos; ab aliis inter illos hepatis; ab aliis tandem ut compositus morbus, maxime obstructionibus viscerum, glandularum, vasorumque hypochondriorum habetur. Si vero funditus reputentur symptomata, quae hypochondriasin comitantur, nullo negotio deducitur esse morbum nervei systematis, praesertim vitae organicae, qui illam progignit functionum perturbationem quae graece dicitur ἀντιπραξία. In hac autem perturbatione progenerantur copiosi, et assidui flatus; aciditates ventriculi; perennis exspuitio; alvus com-

pressa ; retardata alimentorum coctio; urinae tenues , licet interdum colorantur; sine ulla ratione timor instantis periculi, ipsiusque mortis. Propter haec symptomata multi sunt scriptores, qui affectionem hypochondriacam hystericae esse plane similem asserunt. Nos vero non inficiamur, multam esse similitudinem et affinitatem inter utrasque affectiones ; sed quidam sunt characteres , a diversa praecipue constitutione manantes , qui eas omnino discernunt. Etenim in hypochondriasi praeter pathemata vitae organicae , non raro illa conspiciuntur , quae de laesione functionum vitae animalis testantur. Ideo hypochondriaci propendent ad tristitiam, desperationem , melancholiam. In affectione vero hysterica multo magis functiones vitae organicae , quam illae vitae animalis offenduntur. Revera in nosocomio dementium quotidie video , plus esse melancholicos, qui prius erant hypochondriaci , quam melancholicas , quae prius erant hystericae. Interdum vero affectio hysterica ad furorem uterinum devehit.

§. 1813. Nosologi pro variis temperamentis, caussis, symptomatibus, aegritudinibus existentibus, aut supervenientibus, multiplicia hypochondriasi dederunt nomina, variasque constituerunt species, quae reapse aut non sunt nisi varietates, aut aliorum morborum symptomata. Etenim Sauvages appellat hypochondriasim biliosam, quae accidit in temperamentis biliosis; sanguineam in temperamentis plethoricis; melancholicam, si minima vasa sint rigida, solida, angusta, corpus macrum et siccum; pituitosam, quae propria est constitutionum humidarum, et mollium; hystericam, quae hystericis symptomatibus conjungitur; asthmaticam, quae asthmate praesertim distinguitur; calculosam, si exstent calculi, maxime renum; tympaniticam, cum flatus intestina distendant; algidam, cum frigus occupet membra. Verum observare non linquimus, saepe ante hypochondriasim existere aliquos morbos, ex quibus illa non nascitur; et viceversa hypochondriasi supervenire morbos quin ab illa procedant. Sunt enim

morbi, qui hypochondriasim producunt, eamque fovent; et interdum affectio hypochondriaca alias aegritudines praeparat, et ad has homines dirigit. Quid reapse frequentius est, quam ab hypochondriasi melancholia, aliaeque mentis alienationes generentur? Ab hisce observationibus facile deducitur, hypochondriasim esse vel primariam, vel symptomaticam, vel secundariam; simplicem, vel complicatam. Dum est primaria et simplex, diuturna est, et propria exhibet symptomata; dum est symptomatica, aut secundaria non desunt aliorum morborum signa, ut calculorum, rheumatis, podagrae, asthmatis, etc. Aliquando in simplici hypochondriasi deprehenduntur symptomata, quae ad aliam affectionem pertinere videntur, sed revera non sunt nisi illius propria, ut cordis palpitationes; pulsus irregulares, inaequales; respiratio difficilis, suspiriosa; dolores partium. Ubi igitur symptomata perpenduntur, videndum est, an sint aliarum caussarum, vel diathesium propria, an solum hypochondriacos paroxysmos comitentur.

§. 1814. Ab antiquis pathologis dicebatur hypochondriasis morbus non intellectus, cum symptomatibus mutabilibus, et inter se oppositis componatur. Sed quamvis tanta est symptomatum mutatio et diversitas, ut posteriori memoria vocata fuerit morbus proteiformis; nihilominus praecipua symptomata evidenter ejus nervosam indolem recludunt. Videamus igitur quae sunt hujusmodi symptomata. Saepissime hypochondriasis sensim sensimque incipit, et tam occulte progreditur, ut inter initia vix aut ne vix quidem cognoscatur. Haec vero initia plerumque distinguuntur a spontanea lassitudine; inquietudine; moerore; solitudinis desiderio; ventris, potissimum hypochondriorum distensione, unde proficiscitur symptomatum varietas, ut appetitus modo deest, modo augetur; potio modo expetitur, modo rejicitur; facies quamvis ut plurimum pallida, modo tamen colore sufficitur, modo livescit; oculi saepe halone circumdantur; post sumptum alimentum molestia, et pondus; dolor circa cardiam; im-

portunae stomachi aciditates, et acidi ructus. Progrediente morbo superveniunt nauseae; copiosi flatus; borborygmi; majores abdominis distensiones; vomitus substantiarum acidarum, foetidarum, incoctarum; constrictio gutturis et pectoris cum respiratione difficili; singultus; tussis; musculorum tremor; oscitatio, et pandiculatio; dolores ad caput, hypochondria, lumbos, articulationes; pulsationes vehementes cordis, aut regionis epigastricae; alvus nunc adstricta, nunc soluta; copiosa secretio et excretio salivae, et urinae sine colore; pruritus, et eruptiones ad cutem. Haec foenomena crescunt in dies, et hisce alia adjunguntur, nempe inquietudo, moeror, solitudinis amor, proclivitas ad iram et timorem, somnus inquietus visisque interruptus, sublata imaginatio, anxietas, querelae, suspiria, fletus, propensio ad considerandam et animo persolvendam unicam rem, imaginarii morbi, nulla affectionum stabilitas, exiguum a somno levamen, unde desiderium otii, ignavia, motuum tarditas, saepe manuum et pe-

dum frigus et torpor dum facies rubescit. Non semper vero turbatus est somnus, sed non raro hypochondriaci posteaquam requieverunt, satis concitantur; ut et absoluto digestionis opere satis exhilarantur; quin, relicta animi aegritudine, perfaceti fiunt; sed paullo post ad hanc redeunt, et ad taciturnitatem; nutibus contradictionem minime tolerant, quibus si quis opponi audeat, excandescunt et furunt. Saepe etiam medicos sine necessitate vocari jubent, a quibus medicamina exposcunt, quorum farragine potius damnum, quam utilitatem suscipiunt. Si autem morbus amplior factus sit, non solum graviora, sed etiam luctuosa symptomata conspiciuntur, ut icterus; maculae lividae, maxime in extremitatibus inferioribus; hydrops; vertigines; stupor; tinnitus aurium cum difficili auditu; oculorum caligo; et tandem corporis consumptio. Aliquando hypochondriasis transit in melancholiam, et maniam, quod a quibusdam apparentibus signis praecogitari potest, ut ab invincibili solitudinis desiderio; profundo

moerore, propensione ad iram; somno visis horribilibus abrupto; actionum et voluntatis inconstantia. In paroxysmis hypochondriacae affectionis saepe contingunt foenomena, quae majore animadversione digna videntur, ut urinae, quae limpidae redduntur; insensibilis perspiratio repressa; vox stridula, et interdum rauca; pulsuum varietas ingens, nempe sunt duri, exiles, rari, tardi, inaequales; insultus epileptici; sanguis violenter ad caput pectus transfetur, unde plures molestiae producuntur; color faciei varius; sudor capite, collo, manuum volis, plantisque pedum manat; salivae ubertim profluunt, proindeque prosternuntur vires, et alimentorum digestio laeditur; cupiditas rerum venerearum, unde voluptuosae imagines pervolvuntur; frequens erectio penis, frequentesque pollutiones. Symptomata etiam pro dissimilitudine temperamentorum, caussarumque discrepant. In hypochondriasi enim biliosa oris amarities, capitis dolores, tristitia, vertigines, dyspnoea, cordis palpitationes, cardialgia, co-

lica , alvus compressa apparent : in plethorica , capitis gravitas , laxitas a quovis corporis motu , etsi levissimo , facies florida , dolores ventriculi post assumpta alimenta , calida hypochondria , calor vagus, haemorrhagia narium , haemorrhoides dolentes , defectus alicujus consuetae sanguinis jacturae : in pituitosa , tarda est circulatio , pulsus mollis , calor naturali minor , pallor , magis exstensus somnus , animi et corporis debilitas : in melancholica, quae ut plurimum aetate virili contingit, mens videtur ad moerorem projecta, multa est anxietas , asperi et rigidi mores , penetrans ingenii acumen , flatus et dolores in abdomine errantes digestionis tempore.

§. 1815. Plurimae sunt de caussa proxima affectionis hypochondriacae sententiae , quae demonstrant quanta in inveniendis et statuendis rerum omnium principiis sit humana imbecillitas. Etenim arbitrabantur veteres , caussam proximam hypochondriasis esse atrabilem ad viscera abdominalia traductam , in quibus praeter naturae ordinem haec demoretur ; dum

credebatur ab ipsis eadem atrabilis ad vasa cerebri transvecta maniae et melancholiae caussa esse. Posteriori aevo haec caussa aut in nimia hepatis caliditate et lienis debilitate ; aut in tarditate et mora sanguinis in venae portarum systemate , et secundum aliorum opinionem in membranis ventriculi et intestinorum , ponebatur. Sydenham autem judicavit , hanc caussam esse spirituum animalium ataxiam; Hoffmann tubi alimentarii spasmum. Inter autem recentiores alii credunt illam in intestinalis tubi , hujusque nervorum debilitate , vel in actione laesa intestinorum ; alii in amissa cerebri vi , et nervei systematis torpore consistere. Verum si hypochondriasis sit morbus maturae aetatis ; cum scilicet laetitiae et alacritati juventutis gravitas et ponderosa rerum consideratio succedat ; cum propter validam arteriarum actionem plethora venarum abdominis augeatur, praecipue in temperamentis melancholicis , et ingenti intestinorum debilitate, illius praecipua caussa esse tardities et mora sanguinis in abdominalibus

venis videtur. Quoad autem caussas remotas, nonnullae sunt quae ad hanc affectionem paullatim ordinant, maxime aetas, et corporis constitutio. Enim vero ea frequentius laborant, qui triginta quinque aetatis annos superant, cum scilicet circulatio sanguinis in abdomine tardescere incipit; et qui melancholico temperamento, debilique nervorum systemate instruuntur. Hi enim, si excitantes caussae accedant, facile hypochondriaci evadunt. Hae autem caussae multiplices sunt, ut assidua et intensa studia; affligentes animi affectus, ut terror, tristitia, infelix amor; abusus veneris, et mastrupatio; immoderatus corporis labor; continue aliquam rem animo perpendere; aer constanter humidus, et nebulosus, et variabilis; pertinacia sanguinis profluvia; ab excitata fortuna ad inclinatam, et prope jacentem transitus; praeposterus opii, ejusque praeparationum, aliorumque narcoticorum usus; suppressio fluxus haemorrhoidalis; febres intermittentes rebelles, aut praemature et sine consilio cohibitae; etc.

Inter hypochondriasis caussas Joseph Franch posuit exercitationem medicinae; sed in ejus sententiam in universum non concurro. Medici quidem versantur in tristibus, et medicinae exercitatio est laboris, taedii, et sollicitudinis plena; nihilominus haec omnia sustinere aequissimo animo pleramque video medicorum partem, qui ut plurimum sine salutis incommodo ad ultimam senectutem perveniunt.

§. 1816. Inspectiones cadaverum, quod de affectionis hypochondriae caussis diximus, satis confirmant. Etenim adnotabiles laesiones in visceribus abdominis inveniuntur, ut ventriculus exstensus, flaccescens, foetidum humorem continens; durities, tubercula dura, scirrhus prope pylorum; intestina etiam protensa, livescentia, et subnigra; colon scirrhosum; pancreas ulcerosum; viscera hepatis, et lienis majoris voluminis, et dura, et scirrhosa; turgentes mesenterii venae, varicosae, et viscoso sanguine plenae; omentum duritiis conspersum, vel scirrhosum; serum cruentum per abdominis cavitatem diffu-

sum. Rarissime in cerebro depravationes offenduntur, ut illud nigrum, ejusque medulla dura; turgida vasa sanguinea; serum in ventriculis, aut in visceris substantia refusum; steatoma; intra cranium serosa colluvies. Verum non tam raro deprehenduntur vitia cordis, majorumque vasorum.

§. 1817. Hypochondriasis est morbus pertinax, curatu difficilis, interdum lethalis. Examinandae igitur sunt ejus origines, et symptomata vel comitantia, vel supervenientia. Si hominibus provectae aetatis exiguum quietis intervallum symptomata concedant, vix perfecta salus speranda est: contra juvenes, ubi symptomata longam habent remissionem, etsi morbus sit molestiis, et doloribus cumulatus, sani fiunt. Generatim vero si hypochondriasis sit recens, nec omnino neglecta; si pauca, et levia sint symptomata, non est periculosa affectio; sed si sit inveterata et indomita, timendum est, ne funesta evadat, scilicet vel in hydropem, vel in melancholiam saepissime insanabi-

lem, vel in maniam transiliat. Sed quamvis antiqua sit et tenax, mitigari tamen possunt symptomata, quae a pertinaci actione caussarum et redeunt et exacerbantur. Si curatio praepostera sit, pravumque vitae regimen, omnia pathemata graviora fiunt, et lamentabiles transitus in hydropem, asthma convulsivum, febrem hecticam, apoplexiam, vertigines, delirium sive melancholicum sive furiosum, promptiores sunt. Propter aëris inconstantiam hypochondriaci pejus se habent vere et autumno, quam reliquis anni tempestatibus. Symptomata autem hypochondriaca non solum majorem vel minorem gravitatem morbi, hujusque faustum vel infaustum exitum, aut alia quae paroxysmorum solutionem promittunt, sed etiam quae in visceribus exstent affectiones, vel in humoribus vitia indicant. Praenoscitur faustus morbi finis a levioribus syptomatis, infaustus a gravioribus, ut a vomitu nigro, qui praesertim molestat, ubi inveterascit morbus; a vertigine, caecitate, consumptione, quae crescit in dies. Signa

vero quae morbi magnitudinem ostendunt sunt nimia tensio, et durities hypochondrii sinistri ; color fere niger quo tingitur aeger; colica in dextero hypochondrio; quidam ardor volaticus ad caput et ad faciem ; alvus clausa ; urina clara ; complicatio cum aliis morbis ; excretio sanguinis ex faucibus , aut alia frequens et profusa haemorrhagia ; somnus brevis , et interruptus visis. Sunt vero alia quae proximam mortem declarant , praecipue maxima consumptio , et lenta febris. Morbosas autem affectiones in visceribus revelant durities in hypochondriis ; tussis , quae saepe recrudescit ; pravae digestiones alimentorum ; sitis ; alvus modo adstricta , modo soluta. Ex hisce enim symptomatis ad scirrhum dispositio vel in hepate vel in liene conjicitur. Quae vero aliquam morbosam mutationem in humoribus recludunt , sunt perpetua siccitas , calor , velocitas pulsus , depravatae salivae, anima foetida. Ubi existunt humorum vitia , timenda magis macies est. Hypochondriasis , quae quibusdam morbis supervenit ,

ut hydropi, scirrhis, phthisi, mali ominis est. Signa autem quae proximam paroxysmorum solutionem spondent, sunt sternutatio; fletus; sudor; diarrhoea stercorea, biliosa, muccosa; fluxus haemorrhoidum; ingentes varices; urina crassa; flatus cumulatim explosi; copiosa sputorum mucidorum excretio. Animadvertendum est, quod si non desiderentur signa declinantis hypochondriasis, et eodem tempore urina nigra reddatur, haec non exterreat. Etenim feliciter dissolvit morbum, si etiam cursu modico fluant haemorrhoides, et nulla adsit febris. Etiam omittenda non est practicorum observatio, qua certiores facti sumus, homines hypochondriacos a morbis epidemicis, contagiosis, pestilentibus, ipsaque peste immunes esse. Hoc quidem explicari non potest, quoniam hypochondriaci magis aliis hominibus ad contrahendas nervosas affectiones proclives esse videntur, utpote debiliori et sensibiliori nervorum polleant systemate. Si vero epidemicis, vel contagiosis morbis afficiantur, in multo majus discrimen conjiciuntur.

§. 1818. Si perlegantur scriptores, mira in curatione hypochondriasis reperitur opinionum varietas, ex qua facile concipitur, apud alios empiricam medendi rationem, apud alios amorem alicujus systematis praevalere. Etenim alii extollunt incitantem methodum, inprimis alimenta nutrientia, generosum vinum, moschum, opium ejusque praeparata, castoreum, etc; alii curationem oppositam, nempe sanguinis missiones generales et locales, praesertim hirudines vasis haemorrhoidalibus applicitae, victus parcus et tenuis, purgantia, absorbentia; alii non adhibent, nisi antispasmodica, quia credunt, caussam morbi proximam spasmo contineri; alii opinionem amplectuntur Sydenhami, qui primam indicationem in roborando sanguine statuebat, scilicet chalybeatis, amaris, volatilibus; alii sine ulla distinctione quasdam substantias, aut potiones, ut coffoeae arabicae vel theae viridis, commendant aut vituperant; alii non aliud opportunum esse existimant, nisi appositam vivendi rationem., et cum illis conspirant,



qui dum expediti et peracris ingenii simulationem induunt, medicos et medicamenta fugienda esse pervulgant, et hoc modo eorum tardam et obtusam mentem abscondunt. Hujusmodi opiniones eo magis sunt erroneae, quo magis a genuinis medendi regulis recedunt, quae quotquot sunt in cognoscendis caussis, diversaque morborum indole versantur. Indubium est, quin in pluribus casibus plus emolumenti a simplicitate medendi, a rusticatione, ab itineribus, a convenienti exercitatione corporis ipsisque frictionibus, quam a compositis, heroicis, laudatisque medicamentis retrahatur; sed non semper res ita procedit, nec semper sequi debemus praeceptum quod dabat Montanus, medicos nempe et medicamenta fugere. Idcirco si aliquando requiratur praefinita curatio, ut haec vere fructuosa sit, explorandae sunt caussae omnes, potissimum temperamentum, vitae genus, clima, morbi gradus; praeterea symptomata, et complicationes. Si vero hypochondriasis symptomatica sit, vel secundaria, inspicere

debemus morbos, a quibus habuit originem. Quamobrem si primaria sit, et oriatur ab hypersthenica diathesi, a suppressis haemorrhoidibus, a defectu alicujus consuetae jacturae sanguinis; si temperamentum sit validum et plethoricum; vita hilaris, sedentaria, nunquam animi affectibus perturbata, expedit sanguinis missio generalis vel localis, ut hirudinum praesertim vasis haemorrhoidalibus applicatio: insuper aliqua levis purgatio; pediluvia; victus tenuis, et ut paucis dicam, antiphlogistica methodus. Si ex adverso nascatur a diathesi hyposthenica, a prosternentibus animi affectionibus, sollicitudinibus, et calamitatibus; si infirma sit constitutio corporis, succurrendae sunt vires; excitanda est actio nervei systematis, et abdominalium viscerum, praesertim alimentarii tubi; promovendae sunt secretiones; et delinienda symptomata. Ad hunc finem pervenimus rusticatione, jucundis itineribus, solatiis, grata amicorum societate, et alicujus remedii usu, quod vim roborandi, et resolvendi spasmos ha-

beat. Si hypochondriasis in temperamentis biliosis explicetur, conveniunt refrigerantia, ut jura pulli, emulsiones, potiones aqueae, aquae minerales salinae: si in temperamentis pituitosis, cathartica, amara, stomachica, clysteres carminativi, aquae minerales sulphureae, aliqua corporis exercitatio, ut equitatio, ambulatio, vectio in rheda. Observare debemus quod in curatione hypochondriasis saepe pernecessaria sunt absorbentia, quia a lenta ventriculi actione aciditates in eo generantur. Raro juvant emetica, et ideo ut plurimum satius est aliquo eccoprotico ciere ventrem, vel aquas minerales haurire, quae illum sollicitant; deinde aquas ferrugineas adhibere. Sunt etiam saepe carminativis remediis expellendi flatus, qui frequenter excruciant. Si vero convulsivi et abdominis dolores corripiant, usurpanda sunt antispasmodica, ut aether, castoreum, assa foetida, etc; post cinnabaris factitia, valeriana sylvestris vel sub forma pulveris, vel sub illa decoctionis expediunt. Opium vero semper caute dandum est, quia in-

ternam affert anxietatem, et majorem difficultatem egerendi faeces. Etiam in curatione hujus morbi non sunt balnea tepida omittenda, quae fibrarum rigiditatem emendant, et spasmos resolvunt. Haec fieri possunt quotidie, vel alternis diebus, et in initio eorum duratio dimidiam horam non superet; mox vero extendi potest. Non sine etiam utilitate sunt frictiones cum pannis laneis, et modica corporis excitatio. Alimenta sint levia, et nutrientia, et propter aciditates ventriculi ab animali potius quam a vegetabili regno desumpta. Quoad vero victum multa adhibenda est diligentia, nam ut expletio nimia, sic vacuitas ventriculi vitanda est. In hypochondriasi autem symptomatica et secundaria plerumque actio ventriculi, aliorum viscerum, et nervei systematis reparanda est; nec remedia quae valent in primarios morbos negligenda sunt. Si igitur hypochondriasis initium habeat a pulmonum tuberculis, eligenda sunt edulcorantia, diluentia, resolventia, praesertim lac asininum; aliqua exercitatio corpo-

ris, maxime equitatio; campestris aër: si ab obstructionibus viscerum, deobstruentia, balnea, unctiones emollientes, resolventes: sic plura alia medicamina vocari possunt in usum, secundum varios casus, ut cortex peruvianus; amara; praeparationes ferri; antispasmodica, praecipue aether sulphuricus, castoreum, ejusque tinctura, ut et illa succini, assa foetida; levia purgantia, maxime ubi non facile alvus redditur, et clysteres emollientes et antispasmodici, ut ex infusione florum chamomillae. Quotidie observamus quantam opem ferat idoneum vitae regimen; idque confirmat quod supra diximus. Permulti enim sanantur vita campestri; gymnasticis exercitationibus; frequentibus itineribus; gratissimo amicorum consortio; salubribus alimentis naturae morbi congruentibus. Diximus anteferenda esse animalia alimenta, ut carnes pulli, vituli, vaccinae, assatae potius quam elixae; ova recentia sorbilia; pisces potius marini, quam fluviatiles; sed linquenda penitus non sunt vegetabilia, quae magis judicantur

salubria, ut spinacia oleracea, asparagus, lactuca sativa, cappares, et quidam fructus, ut cerasae, prunae, armeniaca mala. Panis adhibeatur bene coctus, aliquantisper salitus, et quibus placet, seminibus anisi, vel foeniculi conditus. Cavendum est ab incocto pane qui si semper malus est, in hypochondriasi pessimus. Concedatur vinum, sed modicum, et meracum, nunquam dulce. Sic non dentur bellaria, et dulcia, utpote nervis inimica. Sunt plures practici, qui omnino prohibent potionem arabicam ex coffoea, ut et illam ex thea. Verum enim vero si hypochondriaci potione arabica modice utantur, maxime post prandium, et ad illam hauriendam habeant consuetudinem, nec tanta laborent nervorum mobilitate, nullum detrimentum ab illa patiuntur. Sic illa theae prohibenda plane non est illis, qui eam ebibere assueti, sub frigido et humido caelo vitam ducunt. Extentio etiam somni secundum consuetudinem et temperamentum dirigenda est; nam qui multum solent quiescere, et debiles sunt,

somnum extendere debent; contra qui parum dormiunt, et sunt plethorico et robusto temperamento praediti, a nimis exporrecto somno male se habent.

§. 1819. Antequam huic generi imponamus finem, advertamus, in curanda hypochondriasi, non raro complicationes deprehendi, magnique ponderis symptomata, quae nullo modo praetereunda sunt. Etenim si ab apertis signis videamus adesse complicationem veneream, omittere non debemus antivenerea, potissimum mercurium: si complicationem scorbuticam, remedia antiscorbutica, praecipue lac asininum: si scrophulosam, antiscrophulosa: etc. Symptomata autem magis frequentia et molesta sunt dyspepsia, flatus, spasmodici dolores, aciditates, spasmi, alvus adstricta. In dyspepsiam efficacissime pollent stomachica, amara, praeparationes martiales, ut infusio ligni quassiae amarae, tinctura absinthii, decoctum, aut extractum radicis gentianae, etiam extractum cardui benedicti, elixiria stomachica, tinctura chalybis, etc. Flatus autem si fieri potest

emittantur, ne ab his retentis augeantur molestiae. Dentur itaque aqua menthae crispae, sive anethi foeniculi cum aquosa tinctura rhei palmati; aut aqua foeniculi cum liquore anodyno minerali Hoffm; aut infusiones ex seminibus anethi foeniculi: injiciantur etiam clysteres carminativi, praesertim ex decoctione florum chamomillae. Si vero caput, stomachus, intestina spasmodicis doloribus vexantur, maxime proficiunt aether, castoreum, assa foetida, aqua lactucae cum aliquot guttis laudani liquidi Syden., valeriana sylvestris; et super abdomen emplastra anodyna, maxime ex foliis matricariae. Si ventriculum aciditates infestent, ut frequentibus et molestis acidis ructibus cognoscitur, usurpentur absorbentia, sed in primis magnesia, et praeparationes alchalinae. Si obstruatur alvus, hanc optime reserant aloës soccotrinae extractum, et rhabarbarum, aut extractum colocynthidis. Ideo aut sumantur duae drachmae rhabarbari, et una extracti aquosi aloës soccotrinae, ut fiant sexaginta pilulae quarum tres vel quatuor

usque ad sex vespere sumi possunt: aut adhibeatur extractum colocynthidis, scilicet sumatur drachma hujusce aquosi extracti, ut fiant sexaginta pilulae, quarum vespere duae, vel tres, usque ad sex deglutiantur. Tandem observandum est, quia sub paroxysmo affectionis hypochondriacae saepe deficit animus, aegros persuasum habere, se plus gravi laborare morbo, quam reapse est, ideoque medicos anxie quaerere, et raptim auxilia postulare. Medici igitur quamvis eorum exaggerationem cognoscant, patientes sint, eorumque vanos et assiduos questus auscultent. Si enim secus faciant, vehementer exasperantur hypochondriaci, et existimant, ab his negligi, dum gravi affliguntur morbo. Propterea non solum medici incredibili uti debent patientia, sed etiam ipsis aliquod praesens remedium promittere, eorumque demissum animum persuasionibus relevare.

GENUS SECUNDUM

Hysteria

§. 1820. Hysteria, seu hysterismus, seu hysterica affectio, est morbus qui constituitur a symptomatibus quae proveniunt ab utero, accessionibusque distinguitur. Est primaria, symptomatica, secundaria. Sub dissimilibus, disparibusque formis corripit, ejusque symptomata tam sunt mutabilia, ut horae momento convertantur, sibique invicem succedant. Ut vero progrediamur ordine, prius consideremus generalia foenomena, mox quae a diversis caussis proveniunt. Inter prima sunt eructationes frequentes; urinae aqueae, et limpidae; ventris murmur, inflatio, distentio; sensus constrictionis, qui ab abdomine conscendit ad fauces, et strangulationem minitari videtur, globus hystericus a practicis vocatus; convulsionum insultus; sopor; aphonia; animi deliquia; affectuum mutabilitas; pusillus animus;

anxietas; tristitia; pervigilium; maxima nervorum sensibilitas; calamitatum, et proximi mali timor. Sed quia hysterica passio constat paroxysmis, necesse est, ut horum processus perpendamus. Generatim paroxysmi denuntiantur lassitudine spontanea, oscitatione et pandiculatione; inquietudine et animi dejectione; quadam stupiditate; oculorum nictatione; languore ventriculi; cordis palpitatione; in rebus agendis dubitatio; perturbatio vultus. Postea incipiunt paroxysmi cum sensu frigoris in extremitatibus, cui succedit calor; frequentes frigoris et caloris vicissitudines, quae in diversis corporis partibus persentiuntur; vultus modo pallidus, modo ruber; capitis dolor plus minusve molestus; obscuratur visus; profluvium lacrymarum; abdominis sonitus; intestinorum distensio; globus hystericus, qui ab inferiore abdominis parte ad ventriculum scandit, deinde ad fauces; risus, et fletus; clamor, anxietas, nausea, vomitus; sermones incompositi; momentanea confusio facultatum intellectualium;

os saliva plenum, et ptyalismus; dolores abdominis; retractio umbilici; permulti flatus, qui explodi non possunt, unde in abdomine instrepunt, hujusque edunt inaequalitates. Propter magnam ventris, et intestini recti constrictionem liquida in anum immitti nequeunt; aegra saepe ululatus fundit, praesertim si etiam musculi colli et faciei gravi capiantur spasmo. Hystericae mulieres modo in actu paroxysmorum convulsionibus agitantur, quatiuntque pectus; modo remanent immobiles et veluti catalepticae. In quibusdam cor palpitat; in aliis pulsus sunt inaequales, et respiratio intercipitur, cum spasmus diaphragma et musculos respirationi inservientes aggrediatur; in aliis dolor lumbos, dorsum, renes, vesicam urinariam corripit. Cum tandem paroxysmi remittuntur, spasmus cessat, et mulieres suspiria ducunt, singultiunt, eructant, iterumque sensum et motum adipiscuntur; mollius pulsus feriunt; vox restituitur; urinae abundantiores redduntur. In hac remissione et cessatione paroxysmorum, repetuntur

quae in illorum cursu obvenerunt, et firmiter memoria tenentur. Saepe remanet capitis dolor, nec redit absoluta sanitas. Descripta symptomata admodum mutabilia sunt, et vicissim alia aliis sufficiuntur, crebroque alia adjunguntur, ut corporis rigiditas; convulsiones vehementissimae; assidua vigilia; profundus sopor; tranquillitas, aut furor; obfuscatio visus; marmaryge, μαρμαρυγὴ, seu splendor vel fulgor ante oculos coruscans. Interdum ubi desunt convulsivi motus, vel exigui sunt, molestat singultus; interdum hic persistit per totam hystericam accessionem, et quidem per plures dies. Cum dolores maxima violentia arripiant dorsum, et deinde ferantur et haereant in epigastrio, facies pallet, é corporis superficie exit viscosus sudor, extremitates sunt frigidae, pulsus vix percipitur. Videamus modo quae sunt symptomata, quae a diversa pendet caussarum natura. Si hysterica affectio ab hypersthenica diathesi nascatur, cum scilicet mulieres sint sanguineo temperamento instructae, valentes, opipare viventes, af-

fatim vina et liquores spirituosos haurientes, nunquam animi proterentibus affectibus commotae; violentissimi sunt inter paroxysmorum initia convulsivi motus, qui fibrosas et nervosas partes modo insueto distrahunt; pulsus sunt duri, plani; instant vertigines, capitis dolor, dyspnoea: si vero scateat ab hyposthenica diathesi, omnia symptomata debilitatem, nervorumque ingentem sensibilitatem ostendunt. Non raro nascitur hysterica affectio ab aestuosa libidine, et haec caussa cognoscitur ab imminutis vel suppressis menstruis; ex partibus genitalibus turgidis, et calidissimis, unde sensibilitas et salacitas adaugetur; facilis et frequens mutatio coloris in facie, praesentibus hominibus, maxime juvenibus, formosis, acceptis, in quos fere invito animo oculos conjiciunt; verbis, et actibus obscoenis. Inter caussas familiares hujusce morbi sunt vehementia et varia animi pathemata, et ideo non deficiunt symptomata, quae dissimili illorum naturae respondeant, prout scilicet pathemata vel ad odium vel ad amorem per-

tineant. Si tandem hysterica affectio sit symptomatica vel secundaria, deprehenduntur symptomata primarii morbi, ut vermium, obstructionum viscerum, chlorosis; aut anteiverunt graves et diuturni morbi, praesertim crebrae, et diffusae sanguinis jacturae.

§. 1821. Multa quidem est affinitas, et in quibusdam casibus similitudo inter affectionem hystericam et hypochondriacam; ideoque plures practici contendunt, utramque affectionem unicum constituere morbum. Verum quamvis interdum tanta animadvertatur similitudo, tale est symptomatum discrimen, ut ex his jure meritoque duo morborum genera statui possint. Etenim hypochondriasis lentis constat paroxysmis, qui potius remittuntur, quam omnino cessent; praecipua illius sedes est in nervosis gangliis abdominis; alvus obseratur; venter extrinsecus extenditur; multum laeditur imaginatio; afficiuntur praecipue homines melancholico temperamento praediti, circa trigesimum quintum, aut quadragesimum aetatis annum.

Difficilis est affectionis hypochondriacae curatio ; nam progressu aetatis amplior fit et gravior, et saepissime in melancholiam, et consumptionem convertitur. Si exta cadaverum observentur, morbosae conditiones reperiuntur, maxime in hepate, liene, pancreate, quae viscera ut plurimum sese offerunt dura, et aliquando scirrhosa. Affectio vero hysterica paullo post pubertatem, et extemplo aggreditur, ejusque paroxysmi sunt breves; symptomata volubilia, fugacia, multiplicia, implexa; illius origo est a nervorum hypogastricorum systemate ; musculi abdominales introrsum contrahuntur ; sensus interni, et externi perturbantur; corripiuntur tam mulieres plethoricae, et robustae, quam debiles, et sensibiles; fere nunquam deest illa spasmodica constrictio ,quae globus hystericus vocatur, et saepe suffocationem minitans; consuetis symptomatibus plurimae adduntur spasmodicae affectiones; frequens est in epilepsiam transitus. In cadaveribus morbosae conditiones praecipue in utero et in ovariis adnotantur. In foeminis hysteri-

cis interdum occurrunt symptomata, quae propria sunt affectionis hypochondriacae; et e contrario in hominibus hypochondriacis comparent subinde symptomata, quae ad affectionem hystericam omnino spectant. Hoc indubium est; sed hujusce foenomeni exhibere non possumus nisi probabilem rationem, scilicet in hominibus hypochondriacis nonnunquam magis affici nerveum systema partium genitalium; in foeminis hystericis nerveos ganglios abdominales magis interdum laborare.

§. 1822. Si affectiones hystericae symptomata nobiscum reputemus, facile illam a syncope, epilepsia, et apoplexia distinguimus. Etenim in syncope deest pulsus; vultus mutatur, fitque horridus; nec illa, ut paroxysmi hysterici, per duos aut tres dies persistit. Hujusmodi paroxysmi multam habent similitudinem cum epilepsia, sed hujus morbi sedes est in cerebro, et cerebralia vasa distenduntur; dum hysterica affectio in utero, reliquisque partibus genitalibus considit. Aliquando paroxysmi hysterici accedunt reapse ad epilepsiam,

cum nempe vehementes sunt convulsiones, et ab ore emittitur spuma. Apoplexia vero ab hisce paroxysmis discernitur, quia illa sensus motusque abolitionem, cum stertore, frequentia et plenitudine pulsuum difficilem affert respirationem.

§. 1823. Quoniam caussam hysteriae proximam attingere non possunt pathologi, omni tempore supervacaneae eductae fuerunt hyposteses, in quibus modo fluidorum modo solidorum vitia insimulantur. Etenim alii finxerunt in humoribus esse lentorem, cruditatem, pituitam; alii in nervis tensionem, laxitatem, mobilitatem; alii in spiritibus animalibus tumultum, seu Sydenhami spirituum animalium ataxiam; nam ataxia, *ἀταξία καὶ ἀκοσμία*, significat confusionem, vel defectum ordinis. Recentiores vero fere omnes inter se congruunt, hanc caussam esse aliquam uteri pathologicam conditionem, ex qua oritur spasmodica affectio, quae ad propinquas, et longinquas partes extenditur. Non raro virgines in hysteriam delabuntur, cum secerni menstrua ad pubertatem incipiant;

cum horum regularis cursus perturbetur; cum a stimulis vehementis, et nunquam satisfactae libidinis exagitentur; cum sese tradant pudendo mastrupationis vitio. Mulieres vero cum improba aut legitima venere abutantur; cum animi pathematibus agitentur. In illa affectione hysterica, quae vocatur hypersthenica, augetur incitamentum, praesertim in utero, a stimulis, et a nimia quantitate sanguinis, quae distendit vasa. Spasmus autem uteri, et vicinarum partium, qui inde concitatur, ad nervos ossis sacri, ad illos lumbares, ad spinalem medullam facile diffunditur, ita ut in consensum aliae impellantur partes. Contra in affectione hyposthenica perspicuus est incitamenti defectus, ex quo uteri, aliarumque partium spasmus provenit. Ideo ad hysteriam expeditae sunt tumidae et fervidae puellae, ut et ingenio praestantes; mulieres effraena libidine percitae, perpastae, plethoricae, ut et illae debili et senescenti viro nuptae; viduae juvenes, protervae, nimis sensibiles. Generatim vero ad hysteriam praeparat aetas,

temperamentum, vitae genus. Foeminae enim a pubertate ad trigesimum quintum annum; illae corporis constitutione instructae plethorica, debili, macilenta, sensibiliore; illae etiam quae desidiosam et languidam vitam ducunt, sunt magis, et frequentius hystericis convulsionibus obnoxiae. Constitutio vero mollis et nimis sensibilis saepissime non est congenita, sed inertem, umbratilem, et deliciosam vitam, irregularem vivendi rationem, abusum veneris, mastrupationem consequitur. Ex adverso rarissime mulieres implicantur hysterica affectione, si laboris patientes, ut rusticae sunt, et quae pietate eximiae honestos et intemeratos mores conservant. Itaque caussae quae hysteriam excitant, sunt vita otio et deliciis dedita; abusus vini, et spirituosorum liquorum; quaedam vehementes animi affectiones, praesertim amor, odium, ira, gaudium, moeror, taedium, invidia, zelotypia; odores penetrabiles, suaves, injucundi; assiduae vigiliae; immodici et diu tolerati labores; ardens externus calor; laxa, et voluptua-

ria vitae institutio; profusae, et crebrae haemorrhagiae; abusus purgantium, venae sectionum, veneris; longa jejunia; aerumnae; flagrantia desideria; etc. Non parum autem imitatio aut sympathia in sanis mulieribus ad producendam hystericam affectionem habet vim; siquidem cum illae alias hysterico insultu correptas videant, corripiuntur et ipsae, quod praecipue inter sacras virgines nec novum est, nec insolens. Si vero hysteria symptomatica sit vel secundaria, a plurimis morbis, ut a suppressione menstruorum, aut horum irregularitate; ab obstructionibus viscerum; a vermibus; a partu difficili; a vitiis stomachi; ab immodicis, et saepe recurrentibus haemorrhagiis; a leucorrhoea; aliisque effraenatis fluxibus ortum habet.

§. 1824. Hysteriae auspicium a multiplici fonte deducendum est, scilicet ab illius caussis, symptomatibus, diuturnitate, statu virium, complicationibus, et instituta curatione, quae saepe praepostera est. Si itaque leves sint et facile amovendae caussae, jure sperandum est, ci-

to sanandum esse morbum, qui in se non adeo periculosus est. Si ex. gr. caussa sit plethora simplex, aut imminutio menstruorum, aut defectus alicujus consuetae sanguinis jacturae, sufficit saepe sola venae sectio, aut hirudinum appositio, ut vincatur morbus. Sic si in puellis urgeat libido, hysteria matrimonio vanescit, etiamsi non levia compareant symptomata. Hoc ita confirmat Sauvages Tom. II. op. cit. pag. 589. = Monialis illico sensus amittebat, et convellebatur toto corpore cum dyspnoea, dein ad se revertens exiliebat et per cameram saltando currebat, inde laetas et obscoenas cantilenas, verbaque similis farinae proferebat, vomitu bilis atrae pauxillum rejiciebat; mox sui compos facta anteactorum erat immemor; clitoridis titillatio a barbitonsore impudico instituta paroxysmum aliquoties solvebat: tales sunt plures hystericae, quas matrimonio sanasse dicitur; catameniis suppressis, vel imminentibus turgent genitalia, calentque; unde salacitas major, major ad hysteriam proclivitas = Si contra caussae sint graves,

nec facile possunt subduci, ut violenta animi pathemata; res adversae, infelicitates, infortunia; assiduae et profusae exonerationes; eodemque tempore, scilicet dum hae operantur caussae, temperamentum molle sit, et sensile, nec curatio esse potest expedita, nec faustus semper exitus. Non est morbus qui tam saepe in epilepsiam et artuum convulsiones transeat quam hysteria, si ab hisce caussis nascatur. Symptomata vero examinentur in initio, progressu, et fine paroxysmorum; deinde quae post paroxysmos remanent; inter autem symptomata, quae graviora sint, et vicinam mortem portendunt. Interdum in paroxysmorum aggressu non molestant gravia pathemata; interdum vero incommoda, et difficilia, ut globus hystericus, qui dum suffocationem minatur, esse etiam potest lethalis. In cursu autem paroxysmorum alia sunt secundi ominis, ut sternutatio, fluxus haemorrhoidalis in mulieribus plethoricis, sinistri alia, ut insultus epileptici, catalептici, ex quibus etiam defluit fati dies.

Interdum hystericae mulieres tam absurda, insueta, obscoena, irreligiosa efferunt, ut facile vulgo obsessae dicantur. Cum autem paroxysmi remittantur, pulsus prius languidi, fiunt elatiores et molliores; facies jam decolor, rubescit; reboant borborygmi; crebri emittuntur ructus; redit vox resonans; sensuum, motuumque libertas. Saepe vero relinquitur capitis dolor, et totius corporis tam pertinax languor, ut vires nullo modo recolligi possint, quod paroxysmum hystericum rediturum esse indicat. Si autem paroxysmi fiant admodum frequentes, augetur curationis negotium, et morbi discrimen, quia magis-magisque franguntur vires, et major fit ad affectionem hystericam subeundam dispositio, quae natura sua ad reditum, et diuturnitatem propendet. Cum vero tanta sit morbi diuturnitas, laeduntur etiam facultates intellectus, consequiturque corporis consumptio, quae infaustum finem praenuntiat. Haec vero consumptio etiam post paroxysmos, cum nimis frequenter recurrant, evenit, quia maxime infirmantur vires,

deficit appetitus, difficilis et laboriosa est alimentorum coctio. Interitus vero non raro producitur potius a praepostera curatione, vel ab erroribus in diaetetico regimine perpatratis, quod idem est ac dicere a medicorum vel aegrarum culpa, quam a natura morbi, quod diligentissime observandum est, ut, si fieri adhuc potest, opportune vel prava medendi ratio, vel diaetae errores corrigantur. Tandem complicationes perpendendae sunt, siquidem ut affectio hypochondriaca, sic hysterica affectio frequenter cum aliis morbis componitur. Generatim complicationes morbum reddunt diuturnum, et difficilioris sanationis, praesertim si aggrediatur mulieres animi pathematibus afflictas, aut illas quae respirant aërem insalubrem, aut vitam sedentariam ducunt, aut pravis nutriuntur alimentis, aut abutuntur venere, et procacissimae sunt: nihilominus interdum complicationes non sunt graves, ut aliqua levis complicatio gastrica, aut verminosa; vel aliqua fluxus haemorrhoidalis, aut menstruorum perturbatio; in-

terdum sunt graviores, et etiam lethales, ut abortus, molestum puerperium, febres, viscerum inflammationes. Si omnes hi habeantur respectus, recta de malo hysterico statuetur praesagitio.

§. 1825. Curatio alia est in paroxysmis, alia post paroxysmos. Venae sectio in illis generatim nocua est; sed si clara signa phlogisticae diatheseos non desint, ut pulsus pleni et duri, facies rubicunda, vertigines, temperamentum plethoricum, respiratio non libera, capitis dolor, menstruorum, vel fluxus haemorrhoidalis, vel alicujus sanguineae excretionis suppressio, extrahendus est sanguis, et instituenda antiphlogistica methodus, scilicet praeter venae sectionem exhibeantur levia purgantia; potiones aquosae; fiant clysteres emollientes; et tenuis concedatur victus. Ne vero in emittendo sanguine limites praetergrediamur, diligens pulsuum observatio nos dirigat. Sublata phlogistica diathesi, ut convulsiones et motus convulsivi expugnentur, utilia sunt antispasmodica, ut liquor anodynus; castoreum,

ejusque tinctura ; assa foetida ; composita ex opio. Si autem sequatur ingens virium debilitas , linquenda non sunt tonica , ut faciebat Sydenham, qui ad corroborandum sanguinem, et ad compescendam spirituum animalium irregularitatem usurpabatur ferrum. Si vero praeluceant signa oppositae diatheseos, nempe pulsus debiles , facies pallida et labia livida, inappetentia , laxitas , dyspnoea , oedema pedum , capitis et ventriculi dolor, eligenda statim sunt tonica , martialia , antispasmodica. Quamvis vero morbus a debilitate nascatur , prudens sit exstimulantium usus ; siquidem horum actio nocua esse potest , praesertim cum permulta sit nervorum sensibilitas. Sic paroxysmorum tempore indiscriminatim non dentur , ut quidam faciunt , res odoriferae et penetrantes, quae nonnullis hystericis incommodae sunt et infestae. Juvat harum mulierum vultum et extremitates frigida aspergere ; et ubi liceat , porrigatur liquor anodynus ; laudanum liquidum ; castoreum , ejusque tinctura cum aliqua aqua stillatitia. Instituan-

tur etiam frictiones ad collum, pectus, dorsum, extremitates ex aethere sulphurico. Etiam clysteres injiciantur ex decoctione simplici florum chamaemeli, aut cum laudano liquido; et ex aqua tepida fomentationes fiant super abdomen. Post autem paroxysmos curandum ut omnes repellantur caussae, ne illi ad corpus infestandum redeant; apta sit nutritio, et rectus vivendi modus, ex quo semper maximam utilitatem impetramus. Non igitur mirum, si saepe ab animi nunquam interrupta quiete; a consentanea corporis equitatione; ab acceptis lectiunculis; a laetis concentibus; a grata amiçorum societate; ab honestis, jucundisque solatiis; a levibus, et satis nutrientibus alimentis; a ruris deliciis; ab itineribus; ab aëre subfrigido, et sicco; et a lecto bene mane surgendo, obtineatur sanitas. Nihilominus spernenda non sunt quaedam medicamenta simplicia, quae ad sanitatem recuperandam non parum conferunt, ut cortex peruvianus; ferrum, ejusque variae praeparationes; extractum baccarum juniperi, et illud

chamaemeli; aquae minerales; balnea mineralia frigida, si haec adhibere fas sit. Caussae quae hystericos paroxysmos reproducere magis valent, sunt aër frigidus et humidus; animi vehementia, et affligentia pathemata; vita mollis; et nostris temporibus phlebotomiae abusus. Innumera enim ab hoc et gravissima originem ducunt mala, ut vertigines, animi deliquia, capitis dolores, cordis palpitationes, et hujusce vitalis visceris, majorumque vasorum organica vitia. Quamvis vero haec quotidie sub observationem cadunt, tamen lymphatici phlogoseos sectatores, dum a genuinis medicinae praeceptis recedunt, imperterriti, non secus ac mactandas victimas, homines occidunt. Sunt tandem quaedam symptomata tam in decursu paroxysmorum, quam postea, quae aliquod auxilium requirunt, ut anorexia, alvi durities, saburrae vel ventriculi vel intestinorum, aciditates. Si vexet anorexia, curari ut plurimum debet tonicis et amaris; ideoque a quibusdam sine ulla ratione saepe repetuntur purgantia. Alvi compressio

hystericae affectionis est frequentissimum symptoma, quod plerumque simplicibus clysteribus corrigitur; sed si hujus caussa sint spasmodicae constricturae, adjungi possunt antispasmodica, ut laudanum liquidum, assa foetida, castoreum; praecipiendae sunt etiam fomentationes emollientes, et calida balnea. Si vero in ventriculo morentur quisquiliae, levia emetica; si in intestinis levia purgantia, non omissis clysteribus, adjuvant. In aciditates valent absorbentia; sed sedulo vitanda sunt vegetabilia, et quidquid potest aciditates ipsas augere. Quapropter praeferendus est victus animalis, et vinum valde dilutum permittendum. Si autem plura residua sint incommoda; si haec medicamentis omnibus renitantur; si maxima sit ad recidivam propensio, caetera relinquendo, vita omnino campestris arrogetur, eodemque tempore exercitatio corporis, et identidem amoena itinera fiant.

Algor

§. 1826. Algor est plerumque aliorum morborum symptoma, sed interdum constituit morbi genus. Quaeri potest, cur algorem ponam inter neuroses vitae organicae, si ardorem inter illas vitae animalis collocaverim. Ratio in promptu est. Animalis calor nostris temporibus non solum videtur esse effectus combustionis hydrogenii et carbonii ope oxygenii in actu respirationis, sed etiam nervorum influxus, praesertim nervi pneumo-gastrici, qui non solum ramos suppeditat pharyngi, oesophago, ventriculo, cordi, aortae, arteriis carotidibus, etc; sed etiam laryngi, asperae arteriae, pulmonibus. Quamvis vero animalis calor a sola respiratione penderet, haec functio aliquo modo voluntaria est. Algor autem producitur ab intenso frigore aëris, quod potentissime vasa, nervos, viscera aggreditur; sanguinem et humores

conspissat ; et cito virium vitalium reactionem superat ; vel etiam ab aliis caussis , ut videbimus. Ex hisce patet, cur mihi visum sit ardorem inter neuroses vitae animalis , et algorem inter illas alterius vitae componere. Algor ut diximus interdum primarius est , et ab actione glaciali frigore gignitur ; sed ut plurimum symptomaticus est, aut criticus. Ille oritur a plurimis morbis , ut ab illis pulmonum, maxime a rheumate , et catarrho ; a febribus maxime intermittentibus ; ab internis suppurationibus ; etc. Algor autem saepissime realis non est , sed ad aegri sensum; quin interdum non solum cum naturali calore, sed etiam cum illo aucto conjungitur. Criticus vero algor contingit in acutis morbis , qui modo bonus est , modo malus , ut in pluribus libris docuit Hippocrates , quod experientia confirmatur.

§. 1827. Calor viventium corporum , qui dicitur proprius, non dependet ab externa aëris temperie, utpote foenomenon omnino vitale. Corpora non viventia in aequilibrio sunt cum externi aëris temperie, quia

dumtaxat calorem latentem habent. Quapropter in corporibus viventibus immite frigus non eosdem effectus producit, ac in illis vita carentibus; ideoque sub quavis fere latitudine aequalis est temperies nostri corporis, nempe a trigesimo ad trigesimum secundum thermometri Reaumur; quamvis saeviente hyeme apud sanos homines vigesimum septimum gradum non excedat. In gelidis vero climatibus nivale frigus vigorem, et reactionem virium vitalium delet, proindeque infaustos, et saepe lethales effectus edit. Igitur cum frigus ad punctum congelationis perveniat, et etiam infra descendat, maxime timendum est. Siquidem horridum frigus ingentem aufert quantitatem caloris, cogit necessitas cibos et potiones calidae naturae adhibere, quae excalefacere corpus valeant. Haec est ratio, quia in frigidis regionibus minori damno continuus liquorum spirituosorum usus toleratur.

§. 1828. Caussa proxima primarii algoris est extinctio vitalium virium, unde deficit animalis calor. Caussae remotae sunt

aër frigidissimus; immersio in aquis gelidis; animi affectus, maxime deprimentes, ut improvisus terror, timor, tristitia opprimens; ingentes humorum jacturae; jejunia. Ad hunc morbum senes, debiles, cacochymici, et admodum sensibiles propendent. Algor symptomaticus nascitur ab illis morbis, qui valde nervos, vasa, viscera afficiunt, plurimasque laedunt functiones. Criticus non est nisi naturae motus, unde perturbantur nervi, cum acutos morbos resolvere tentet. Hic vero motus cum bonus vel malus esse possit, hoc ab effectibus cognoscitur, sicut modo videbimus.

§. 1829. Frigus si pertingat aut superet congelationis gradum, gangraena et sphacelo corporis partes corripiuntur, ut omnibus notum est. Si vero frigus ad hunc gradum non perveniat, et opportuna non omittantur auxilia, diu hujusmodi partes oedematosae remanent; maxima vero difficultate sensibilitatem, propriamque mobilitatem tendines recuperant; diuque etiam nervi sensibilitate orbantur, et saepe

hanc actione frigoris amissam, non amplius ut in statu salutis reparant. Dum vero algor est symptoma aliorum morborum, hoc vel leve vel grave est, et etiam lethale. Ut plurimum est leve in febribus intermittentibus benignis, in affectionibus catarrhalibus, vel rheumaticis parvi momenti; est grave et funestum in febribus quartanis intermittentibus, aut in illis febribus perniciosis, quae dicuntur algidae. Quidam senex septuagenario major, robustus, qui vero identidem laborabat vehementi cordis pulsatione, dum per palustres agros venabatur, accessione febris perniciosae algidae correptus fuit. In urbem transvectus, tanta fuit in tertia accessione propulsio sanguinis ad vitalia organa, ut frigidus instar marmoris occubuerit. Sectione cadaveris reperta fuit in subtilioribus parietibus dextri cordis trium circiter linearum rimula. Etenim sub frigore sanguis majore quantitate impulsus ad cor, parietes praeternaturaliter subtiles disrupit. Si vero algor in morbis frequenter aggrediatur, et non solum non extenuatur morbus, sed eliduntur vires, offert luctuo-

sum signum. Quidam detentus febre gastrico-nervosa aliis diathesibus composita tam frequenter comprehendebatur algore, ut tandem, perfractis penitus vitae viribus, fere temporis momento interiverit. Interdum frigus in morbis alternat cum calore, quod morborum ipsorum longitudinem denotat. Hippocr. VIII. de judicationibus inquit = καὶ ὅκȣ τȣ̃ σώματος θερμὸν ἢ ψυχρὸν, ὅπȣ τȣ̃το ἔνι, ἐν ταῦθα ἡ νȣ̃σος, καὶ τȣτέω ἐν ὅλῳ τῷ σώματι μεταβολαὶ ὀξεῖαι γίνονται. καί ἢν τὸ σῶμα ψύχηται ἢ αὖθις θερμαίνειται ἢ χρῶμα ἕτερον ἐξ ἑτέρȣ μεταβάλλήται μῆκος νȣσȣ σημαίνȣσι. Et ubi in corpore caliditas aut frigiditas, hic morbus est, et ibi in toto corpore mutationes repentinae fiunt: et si corpus perfrigeretur, aut rursus calefiat, aut color alius ex alio transmutetur, morbi longitudinem significat. = Dum autem algor est vere criticus, aliquid in acutis morbis naturam moliri declarat; sed hoc conamen aut bonum est, aut malum. Ut plurimum resolvuntur morbi, si illa concurrunt signa, quae a veteribus medicinae

praeceptoribus perfectae coctionis appellabantur. Contra si nullum appareat morborum levamen, si magis magisque vires langueant. In propositum venit, quod de rigore acutorum scripsit Baglivius Pr. med. lib. I. = Rigor bonus et criticus est ille, qui cum urinae pepasmo, sive coctione significatur, quique solvit febrem, et symptomata mitigat, rigoremque sequitur sudor, vomitus, vel alia evacuatio. Malus contra qui frequenter apparet, nam semel apparere debet, qui criticus est; malus quoque si vires inde langueant, nam indicat naturae debilitatem, et frustraneum ejus conatum; malum enim est, quod frustra movetur, siquidem raptum ad caput facit, et diaphragma. =

§. 1830. Tota in repellendis funestis frigoris effectibus curatio versatur. Regulae generales exposcunt, ut gradatim fiant frictiones niveae, aut cum pannis frigida madidis; postea aqua tepida partes excitentur. Intra fimum equinum mox locandi sunt rigidi, aut supra calidum sabulum, pannoque laneo excalefacto operiantur. De-

nique tam interius quam exterius non sine prudentia incitantia sunt adhibenda. Cum autem frigus sit symptomaticum aeger ponatur in calido cubile, qui etiam calidis et siccis pannis contegatur, calidaque detur aliqua haurienda potio, et aliquod auxilium, quod sedet et resolvat spasmum, ut praesertim est laudanum liquidum. Ubi vero algor sit criticus et bonus, quantum per nos licet foveantur naturae conamina, quod potissimum naturae ipsius viribus conservandis et sustinendis fiat; sed si algor malus sit, quod in primis a resolutis viribus cognoscitur, luctuoso harum defectui nobis occurrendum est.

GENUS QUARTUM

Hydrophobia

§. 1831. Hydrophobia est lacrymabilis et horrificus morbus, qui ut plurimum a morsu canis, vel alterius anima-

lis rabidi, et interdum in humano corpore sponte gignitur. Hoc nomen, nempe ὑδροφοβία, vel ὑγροφοβία, venit ab horrore, quem aquae, vel liquidarum substantiarum hic morbus plerumque advehit. Plerumque diximus, quia interdum hoc deest symptoma, sicut ab indubiis observationibus constat. Etenim canes aliquando, rabidique lupi non solum potum et cibum sumpserunt, sed etiam flumina tranarunt. Hydrophobia cognita fuit omni hominum memoria, etsi in Hippocratis libris nulla adinveniatur mentio. Cum vero hic morbus vel a veneno rabidorum animalium morsu in nostrum corpus immisso, vel in nobis sponte genito, vel ab aliis morbis producatur, aliqua hujus divisio pernecessaria mihi videtur. Petrus Franch Polit. Medic. vol. 8. pag. 278. hydrophobiam dividit in spontaneam et symptomaticam; deinde spontaneam in idiopathicam et consensualem. Appellat autem symptomaticam, quae oritur a canis rabidi morsu. Haec vero divisio nec accurata, nec rationi consona videtur. Primaria enim

hydrophobia illa dici debet, quae a veneno sui generis vel sponte genito vel a morsu animalium rabidorum inducto nascitur; symptomatica vero quae effingitur ab aliis morbis, ut a febribus nervosis, perniciosis, inflammationibus, exanthematibus, difficili dentitione, etc; in quorum cursu interdum inter alia symptomata est aquae, vel aliorum liquidorum horror.

§. 1832. Symptomata hydrophobiae vel ejus initium, vel progressum denotant, scilicet varia morbi stadia designant, quae tria sunt. Symptomata igitur primi stadii sunt dolor inflicti vulneris; moeror, et animi abjectio, et solitudinis desiderium; turbatus somnus ab horrendis imaginibus; suspiria; taciturnitas; oscitatio, et pandiculatio; iracundia; anxietas; nulla, aut pauca bibendi voluntas; adnotabilis pulsuum irregularitas; mutatio vultus; inappetentia, et nausea; tam est exquisita sensibilitas, ut quivis sonus, murmur, sermo, aëris mutatio magnam agitationem inducat. Praeterea inter symptomata hujusce stadii recensentur etiam constrictio

gutturis ; vox rauca ; angustia circa praecordia ; vigilia ; aliqua respirandi difficultas ; sitis , sed aquae repugnantia; aurium tinnitus ; urina vel clara , vel repressa ; intuitus ferox ; calor urens in epigastrio ; vultus ruber. Incipit autem secundum stadium cum dispositione ad mordendum , necessariis non exceptis , et parentibus ; ejiciuntur sputa in adstantes , licet haec actio incongruens ipsis hydrophobis molesta sit ; agitatio vehemens ; cordis palpitatio ; vomitus glutinosus , aut biliosus ; convulsiones , et delirium ; oculi sufficiuntur sanguine , qui etiam turgent , et micant; musculi faciei distorquentur , unde vultus lineamenta commutantur ; membra , non secus ac in tetano, rigent ; non raro etiam adest priapismus ; os semiapertum et spumosum remanet ; vox editur latratus similis. Symptomata tandem tertii stadii sunt. maxima anxietas ; difficillima respiratio; os hians , dum aspera exeritur lingua; virium defectus ; oris pallor ; alternant animi deliquia ; sudor gelidus manat ; extrema frigent ; denique sopor, apoplexia ; convul-

siones lethales; mors. Adnotandum etiam est, quod a dolenti, rubro, et tenso vulnere fit ulcus, ex quo pessima, et foetida plorat sanies; quaedam symptomata a propagatione spasmi nascuntur, ut priapismus; membrorum rigiditas; operosa urinarum excretio; urina quae in primo stadio reddebatur limpida, mox propter potionum recusationem saturatior fit.

§. 1833. Cum a cane aliqua pars humani corporis discindatur, et an ille sit rabidus dubitetur, necesse est, ut exponantur signa, quae caninam rabiem sine ulla controversia exprômunt. Signa primi stadii, seu incipientis rabiei canis, sunt tristitia; solitudo; se abscondit; murmurat, sed non latrat; ab hero vocatus non obedit, ut solebat; ab incognitis irritàtur, et in eos irruit; cibos, et potiones recusat; aures, et caudam dimittit; ita ambulat, ut somnolentus esset; sed hactenus observat herum. Jam in hoc primo stadio morsus periculosus est. Incipit secundum stadium, cum canis anhelat; linguam educit, et spumam mittit; cum

modo segniter , modo celeriter facit iter, sed nunquam rectum ; domum relinquit ; non amplius cognoscit , nec colit herum ; oculi sunt tristes , lacrymantes , pulverulenti ; pili haerent ; morsu lacerat quidquid invenit ; linguam habet plumbeam ; contabescit ; furit. Cum haec symptomata graviora fiunt , non solum constituunt tertium morbi stadium, sed etiam proximam mortem significant ; et tum morsus lethalior est. Per naturalem instinctum sani canes velociter fugiunt , si canem rabidum videant. Quamvis exposita signa in canibus rabidis plerumque deprehenduntur , tamen interdum tam evidentia non sunt. Hoc in casu instituenda sunt experimenta, ut cognoscatur an exstet rabies. Ut caetera linquamus, non omittendum est illud academiae scientiarum quod consistit in fricandis faucibus , dentibus, gingivis mortui canis elixae carnis frusto , quod alicui cani dandum est. Si clamore , et ejulatu frustum edere recuset , est certum , mortuum canem fuisse rabie affectum; sin avide illud devoret , nullam in eo fuisse rabiem.

§. 1834. Caussa hydrophobiae est speciale contagium. Hoc plerumque in nos transmittitur morsu alicujus animalis rabidi; sed interdum tam in hominibus, quam in canibus, aliisque animalibus sponte pervolvitur. Quidam contendunt; spontaneam hominum rabiem non esse contagiosam; nam plures pueri lac sugentes, et rabie laborantes matrum vel nutricum papillas momorderunt, quin rabies in ipsas fuerit propagata: alii vero credunt, rabiem spontaneam aliquando esse contagiosam. Rabies vero quae corripit pueros non est primaria, sed symptomatica, et ut plurimum difficilis dentitionis effectus. Etenim dum hydrophobia est aliorum morborum symptoma, non propagari videtur. Animalia carnivora sunt magis ad rabiem disposita, ut canes, feles, lupi, vulpes; herbivora minus, ut equi, asini, muli, boves. Quidam asserunt, inter quos est Boerhaavius, etiam gallos gallinaceos fieri rabidos. Probabilius vero est, hos gallos rabie affici propter morsum alicujus animalis hydrophobi, ni credatur in ipsis explicari posse

rabies propter iram, ad quam sunt maxime compositi. In nonnullis regionibus hydrophobia familiaris est, in aliis rarissima. Negari enim non potest, tam ingentem calorem, quam ingens frigus ad hujus morbi evolutionem aliquem habere influxum. In Europa tam in fervore aestatis, quam in rigore hiemis frequentior rabies est. Sunt autem plures caussae, quae potenter contribuere possunt ad faciliorem generationem reddendam spontaneae rabiei, ut in animalibus perspirationis, potionis, cupitae veneris defectus; esus putridae carnis; vermes qui in visceribus, vel in aliis partibus absconduntur: in hominibus vehementia animi pathemata, praesertim horribilis ira; intemperati labores; actio solis; errores in vivendi ratione. Cum rabies spontanea est, eodem quo concipitur die, aut paullo post, ejus patefiunt symptomata. Cum vero rabiei contagium in sanum corpus introducatur, tempus praefiniri non potest, quo se illud manifestet. Interdum enim illius effectus cito comparent; sed plerumque circa trigesimum,

aut quadragesimum diem, et amplius. Non raro contagium sub vulneris cicatrice per quatuor, quinque, novem menses, et etiam per longius tempus latitat, ut ab indubiis observationibus habemus; quamvis non omnes narrationes fide dignae videntur. Etenim historiae rabiei, quae post vigesimum, aut trigesimum annum comparuit, ut fabulosae habendae sunt. Praeterea non dubito, quin contagium hydrophobicum vestibus aliisque corporibus per longum tempus minime deletum adhaereat, quod auctorum testimonio confirmatur. Van-Swieten Tom. III. §. 1136. pag. 344. historiam refert a Schenchio relatam = Legitur casus de puero, qui abstergens rubiginosum gladium, quo ante plures annos rabiosus canis confossus fuerat, mala fortuna digito suo inflixit vulnusculum, atque inde periit hydrophobus. = Nonnulli credunt cum Aureliano et Aretaeo hydrophobiam halitu posse communicari. Hujus vero contagium volatile non est, ut hoc modo possit extendi. Nihilominus, ut in omnibus attenti esse debemus, ne con-

trahatur rabies, sic hydrophoborum halitus, quantum fieri potest, evitetur. Quaestio est, an esus carnium animalium hydrophoborum possit rabiem inducere. Quamvis hujusmodi disputatio non sit adhuc definita, eas fugere prudentia est. Quaeritur etiam an simplex contactus salivae hydrophoborum, rabiem possit progignere. Verum enim si saliva canis hydrophobi contagiosa sit, quamvis non semper ab illius simplici contactu producatur rabies, hic maxime periculosus est. Ad id demonstrandum auctorum observationes referam, quas Van-Swieten loc. cit. hisce verbis reportat. = An saliva, spumescente, calida, corpori aspersa aliquid metuendum esse in hoc morbo, prudentiores omnes facile concedent: verum magis mirabile videtur, quod a saliva spumosa dudum jam exiccata, morbus hic propagari possit. Apud Aurelianum sequens observatio legitur. Sartrix quaedam, quum chlamydem scissam rabidis morsibus sarciendam sumeret, atque ore stamina componeret, et lingua pannorum suturas lamberet assuendo, quo

transitum acus faceret faciliorem, tertia die in rabiem venisse memoratur. Similem casum dum viderat Hildanus, vix audebat illum proferre, dum ab omnibus pro fabula habebatur. Matronae vestem dentibus arripiens canis rabidus illam laceraverat, huc et illuc trahendo, caeterum nullum vulnus inflixerat. Illa nesciens, canem rabidum fuisse, laceram vestem resarcivit, filo dentibus abscisso, et post tres menses periit hydrophoba. In casu ab Aureliano memorato lambendo sartrix humectaverat suturas; in hoc casu autem simpliciter filum, per vestes, saliva canis rabidi infectas, adactum mordendo abruperat matrona; unde forte serius in hydrophobiam incidit. In utroque casu saliva venenata per humanam salivam diluta immediate applicata fuit linguae, labiis, gingivis, quae crassa cute non teguntur; et praeterea ipsos salivae fontes propius attigit, quod majus hydrophobiae periculum inducere patebit ex sequentibus. — Contagium hydrophobicum ex uno in aliud animal communicari posse, evidens est;

sed loqui de modo, quo contagium agit, et quomodo ab externa demorsa parte ad aliam feratur, arduum est. Arbitror hoc contagium maxime guttur, glandulas salivares, nervos, et faciei musculos aggredi. Materies contagiosa a parte morsu lacerata absorbetur, pervadit sanguinem, et diffunditur, et in expositas modo partes praesertim vehitur; et quamvis hoc non perspicue intelligatur, ab effectibus deducitur. Darwin qui Zoonom. Vol. II. Sect. XXII. 3. inquit non videri materiem contagiosam in circulationis vias insinuari, quia a loco vulneris vestigium secundum vasorum lymphaticorum cursum indicari non potest; nec in glandulis lymphaticis adest tumor; nec ut in variolis, aliisque contagiosis morbis producitur febris, fatetur per aliquem non intellectum processum a vulnere morbum ad guttur, etiam post plures menses a morsu, transferri, et producere dolorem, hydrophobiam cum secretione contagiosae salivae, ut illa est animalis rabidi. Sed quaero quomodo hic morbosus processus concitari potest, nisi

admittatur materiei contagiosae absorptio? Et quamvis auctor juxta suam repetitionis et imitationis doctrinam respondeat, actione morbosa glandularum salivalium canis rabidi peculiarem speciem salivae produci, quae in vulnus alterius animalis infusa inducit in glandulis cutaneis vel muccosis morbosam actionem, quae vero non similem materiem contagiosam generat; sed glandulae salivales ad similem actionem excitantur propter irritationis sympathiam, et hoc modo contagiosam salivam separant, similem illius, quae in inflictum vulnus instillatur; hoc responsum omnino hypotheticum est. Sprengel vero contendit, ab actione contagii hydrophobici in primis nervum accessorium Willisii laborare, qui plures nervos encephali cum ganglioso systemate connectit. Sed quamvis nervi afficiantur, non in ejus sententiam concurram, qui cum Portal dicit, nervos tantummodo corripi, et non primitus a vasis lymphaticis sorberi virus, et minime ab hoc sanguinem, et lympham inquinari. Haec sunt auctoris verba pa-

thol. special. Vol. II. §. 536. pag. 221. = Nervos autem solos affici in hoc morbo, nec primitus sorberi virus per vasa lymphatica, patet tum e Portalii observatione, quod nec sanguis nec lympha inficiantur, tum ex usu eorum remediorum, quae nervorum vim augere et alienare valent, tum e defectu tumorum in vasis glandulisque lymphaticis, tum ex imaginationis vi, quae morbo producendo par est, etiamsi plagam minime canis inflixerit. = Contra indubia observata demonstrant, hydrophobiam non evolvi, nisi contagiosa materies absorbeatur. Haec interdum posteaquam in vulnus infusa fuerit, diu manet abscondita, nec ullum comparet hydrophobiae symptoma; sed statim ac illa hauriatur, rabiei signa exoriuntur. Tanta autem asseveratione affirmari non potest, sanguinem et lympham non inquinari, si sanguis hydrophoborum est potius solutus, ut cadaverum observationes testantur; si in pluribus contagiosis morbis sanguis et lympha apparenter non inficiantur, sed reapse temerentur. Quoad autem

remedia, quid de eorum vi dici potest, si nullum adhuc inventum fuerit remedium, quamvis aliquod favorabiliter in nervos agat? Praeterea dum lympha vitiatur, non constanter tument glandulae et lymphatica vasa. Saepissime exstat in corpore venerea lues, quin cernatur externus tumor, dum non desunt alia symptomata, quae evidenter veneream luem manifestant. Tandem ab imaginationis vi surgere potest aliqua nervorum morbosa affectio, et ab hac hydrophobia, quae non differt ab illa, quae a nervosis morbis produci solet, quaeque ideo symptomatica est, et minime contagiosa.

§. 1835. Si curatio localis prompta sit, nec adhuc apparuerint hydrophobiae symptomata a spe sanationis non eripimur; sed si manifesta resorpti contagii prodeant signa, infaustum est omen. Etenim nullum adhuc cognoscimus remedium, quod comprehendat et decomponat contagium, cujus actio tam est celer, ut intra aliquot dies maximam anxietatem, horrorem aquae, et terrificis convulsionibus mortem afferat.

Inquit Klein Interp. Clinic. pag. 11. = Obeunt hydrophobi sub multa convulsione, spiritu frigido, strangulati quarto circiter die. = Inspectiones cadaverum furialem contagii hydrophobici vim confirmant. Exanima enim corpora teterrime foetent, et in tabum citissime dissolvuntur; sanguis dissolutus, maculae atro-rubrae in pharynge et oesophago deprehenduntur; ventriculus aëre, ichore, bile viride repletus, ejusque vasa sanguine turgida, et in intima membrana inflammationis vestigia observantibus sese offerunt. Inquit Baillie Anat. patholog. Vol. I. pag. 159. in hydrophobia defunctis, observari membranam, quae pharyngem, et oesophagum induit, et internam ventriculi membranam, praesertim in cardia, et in majore visceris extremitate inflammatione affectam. Inquit etiam, membranam non crassam fieri ab inflammatione, quae erysipelatis instar expanditur, et in nonnullis locis relinquit confinii lineas. Haec quidem inflammatio violenta non est. Praeterea invenitur pericardium siccum cordi adhaerens; ventri-

culi cordis sine sanguine, et polypis repleti, aut sanguis grumosus circa cor et majora vasa; pulmones pleurae adhaerentes; viscera arida propter defectum potionis; vasa cerebri turgida sanguine; serum diffusum inter meninges; praeter ventriculum plura viscera inflammata, ut cerebrum, meninges, intestina, hepar, vesica urinaria. Etiam in aliis partibus occurrunt inflammationis vestigia, ut in pluribus musculis, et gangliis nervorum, sicut recentiores scriptores laude dignissimi affirmant. Saepe in intestinis reperitur multa bilis, quae suam cystidem implet. Dixi cadavera cito corrumpi, et foetere, sed hoc aliquando non evenit. Morgagni Epist. anatom. Medica VIII. n.° 25. narrat historiam viri hydrophobi, cujus cadaver post horas amplius viginti quatuor, et tempore anni ferventissimo, idest ante quintilis finem ann. 1739. non valde foetebat.

§. 1836. Prompta et valida esse debet curatio, ut evolutio et propagatio contagii impediatur. Ad hunc assequendum finem plures sunt modi, quorum praecipui sunt

extirpatio demorsae partis; ignis; scarificationes profundae; lotiones. Etenim expedita amputatio affectam partem, et contagium huic applicitum abripit. Ignis est praesentissimum remedium, si apponatur affectae parti, et profunde; sed non semper, ut tangat puncta inaequalis et alti vulneris, ita adhiberi potest, nec omnes partes actioni ignis sine discrimine submitti possunt. In hoc casu fiant potius scarificationes, et dilatationes vulneris, ut promoveatur haemorrhagia, et diutina et abundans suppuratio, in cujus cursu et externa et interna remedia usurpari possunt; praesertim diaphoretica. Cum vero vulnus sit superficiale, remedium princeps ignis est. In usum etiam venire potest pulvis pyrius, qui incenditur, et deinde super vulneris superficiem scarificationes fiunt. Omittendae non sunt, et quidem summopere laudandae promptae vulneris lotiones, quae abducunt contagium, et hoc vulnus simplex reddunt. Si pro lotionibus deficiat aqua, quoniam tam utiles lotiones sunt, propria adhibeatur urina. Cum au-

tem sanguinis fluxus admodum salutaris sit, nunquam est cohibendus, si ille excipiatur casus, in quo vitae afferat discrimen. Quamobrem non est vulnus subito fascia ligandum, nec subito lotiones cum aceto et sale fiant. Ut reclusum maneat vulnus, stimulantibus utamur, ut litu mercuriali, aut pulvere cantharidum. Suppuratio per octo, decem, aut amplius hebdomadas protrahatur. Diligens abstinentia servetur a cibis et potionibus calidis, ab usu carnium et vini; sed humido et laxanti victu molliatur alvus. Praeter hactenus exposita auxilia ad adimendum contagium, alia sunt, ut potentiale causticum; appositio cucurbitulae; applicatio etiam ammoniacae liquidae. Le Roux in dissertat. de rabie commendat ut praesentaneum remedium butyrum antimonii, quod magna dosi, et concentratione principium acidificans continet. Plurimi auctores frictiones mercuriales non solum super affectam partem, sed etiam super alias ad promovendam salivationem extollunt, variasque mercurii adhibent praeparationes. Palmarius de

morbis contag. pag. 272. ut inquit Van-Swieten loc. cit. pag. 580. = vulneribus a rabioso cane inflictis applicari jussit mercurium sublimatum, uti et praecipitatum rubrum, sed tantum hoc scopo ut erodendo plaga redderetur amplior, irritando humores majori copia ad vulnus confluerent, sicque venenum susceptum eliminaretur. = Hujusmodi remedia igitur praeservantia sunt, quae scilicet adhiberi possunt donec nullum appareat extricatae rabiei symptoma. Videamus modo quae sint remedia, cum comparere incipiat rabies. Antiquis temporibus praecipiebantur balnea frigida, quae posterioribus, ut et frigidae immersiones, habita sunt ut remedium in rabiem non adhuc expeditam. Quamvis etiam veteres ante evolutam rabiem adhibebant balnea, et vinum meracum, et aromata, ut excitaretur sudor, virusque expelleretur. Inquit Celsus lib. V. Cap. XXVII. 2. = Quidam post rabiosi canis morsum protinus in balneum mittunt; ibique patiuntur desudare, dum vires corporis sinunt, vulnere adaperto, quo

magis ex eo quoque virus destillet : deinde multo meracoque vino excipiunt: quod omnibus venenis contrarium est. Idque cum ita per triduum factum est, tutus esse homo a periculo videtur- = Ex sequentibus autem ejusdem verbis evidenter patet, veteres in apertam rabiem adhibuisse balneum ut unicum remedium. = Solet autem ex eo vulnere, ubi parum occursum est, aquae timor nasci υδροφόβȣς Graeci appellant. Miserrimum genus morbi ; in quo simul aeger et siti et aquae metu cruciatur : quo oppressis in angusto spes est. Sed unicum tamen remedium est, nec opinantem in piscinam non ante ei provisam projicere, et si natandi scientiam non habet , modo mersum bibere pati, modo attollere ; si habet, interdum deprimere , ut invitus quoque aqua satietur : sic enim simul et sitis et aquae metus tollitur. = Ab auctoribus referuntur historiae, quibus certi manemus , interdum balnea frigida juvisse, et aegros evasisse. Si vero ab aqua frigida aliquid timendum sit, uti possumus egelida , ut animadvertit Van-

Swieten. Alii autem improbarunt balnea, praesertim frigida. Haec, inquiunt, si juverint, interdum etiam tam nocua fuere, ut rabidi in aqua demersi paullo post expiraverint. Plures ad hoc confirmandum referri possent historiae, sed satis sit illa quam refert Morgagni Tom· III. de sed. et caus. morb. Epist. VIII. 23. = Viro quem ante aliquot menses rabiosus canis momorderat, manifesta denique hydrophobia correpto, datis antidotis, aqua in caput conjecta est. Hinc cum melius se habere videretur, in balneum ire jussus, homo qui non deliraret, et quaecumque fierent, auxiliandi caussa fieri, agnosceret, continuo illuc ire coepit, hoc unum petens, ne sponte ingressurum, vi mergerent. Sed ubi eo ventum est, cunctari, et se minime id posse dicere. Itaque in aquam miserunt deprimentes sic, ut biberet. Flagitantem deinde ut se extraherent, extraxerunt, in lectoque collocarunt quietiorem. Non multo post tamen frigidus fieri coepit, proximaque nocte est mortuus = Practici vero posterioris memoriae existi-

marunt, balneum esse potius remedium ad praecavendam rabiem; ideoque in pluribus regionibus, maxime maritimis, ut prophylacticum auxilium habitum fuit. Plures populi maritimi, ut Batavi, crediderunt, utilem esse aquam maris, cum observata suaderent, magnam perturbationem optimum effectum facere. Plures autem arbitrantur balneum prodesse, si ocyssime fiat; serius, si scilicet compareant jam rabiei symptomata, praesertim aquae metus, nil a balneo sperandum esse, si excipiatur aliquod levamen. Alii autem fuerunt, et sunt usui balneorum adversi; siquidem evidenter nocuerunt, praesertim evoluta rabie. Insuper in hunc dirum morbum praeter balnea, plura specifica laudata fuerunt, quibus minime fidendum est; sed absque dubio aliquid faciendum, et periclitandum est, ut vel aliquod levamen miseris aegrotantibus afferamus, vel tandem aliquando verum reperiatur remedium. Raro in curatione rabiei expedit venae sectio; tamen sunt casus, in quibus est opportuna, ut ab auctorum observa-

tionibus habemus. Interdum enim in variis partibus et visceribus inflammationes vehementes excitantur, quae si prompte non reprimantur, facile transeunt in gangraenam. Ideo repetenda etiam est venae sectio, praesertim si inflammationis symptomata graviora fiant. Et quamvis hoc modo non sanetur morbus, tamen magnum obtinetur solamen. Subinde in ventriculo depravati humores colliguntur, ex quibus movetur vomitus, quo cum lenimine ejiciuntur. Quapropter si appareant signa horum humorum, vel sordium, dum in hoc viscere cumulantur, etiam emetica exhibenda sunt. Si vero in intestinis et impuritates, et corruptae faeces coacerventur, purgantibus et clysteribus haec viscera purgentur. Detrusis postea impuritatibus, magis absorberi possunt injecta liquida, quod valde juvat, cum hydrophobi aquam horreant. Deinde ut diximus tentanda sunt remedia, praesertim ob probabilitatem illius proprii inveniendi, sicut animadvertit Boerhaavius §. 1146. = Nec desperandum tamen ob exempla jam in aliis venenis constan-

tia, de inveniendo hujus singularis veneni antidoto singulari. ≒ Antiqui et verbis et scriptis quorundam specificorum extendebant virtutem, quae nullam fidem merentur, ut sunt cancri combusti; pimpinella; exustum jecur canis rabidi; applicatio pilorum hujusce rabiosi canis super inflictum vulnus; aliaque multa. Credebant veteres, partem aliquam animalis rabie laborantis super vulnus positam, aut ore sumptam, enervare, vel efficaciam veneni destruere. Haec quidem data fuere, et verisimili utilitate; nam illi usi sunt, quos dentes canis non rabiosi lacerarunt. Ut in alios contagiosos morbos, et in febrem pestilentem maxime commendata fuit theriaca, ut hujus actione per sudorem contagium hydrophobicum, eliminetur. Sed theriaca potius auget irritationes et inflammationes, quae a suscepto contagio generantur. Habitae etiam sunt cantharides, ut antitodum, quae intus sumuntur; sed etiam adhibentur extrinsecus; ideoque plures formulae apud medicos ex his compositae inveniuntur. Quis vero nescit erosio-

nes, quas ingestae faciunt cantharides, ab ore usque ad omnia organa urinaria, et alia mala, maxime ubi adsunt inflammationes organorum deglutitionis, irritationesque nervei systematis. Doctissimi medici non sine magna ratione experti sunt mercurium, ejusque praeparationes. Etenim in hydrophobia, cum magna copia salivae spumosae excernatur, et natura videatur per hanc viam expulsionem veneni pertentare, sperabant, salivae excretionem per mercurialia augendo, venenum hydrophobicum de corpore penitus depellere. Narrant historiae felices curationes mercurio expletas; sed contrariae historiae testantur, mercurii usu hydrophobos perivisse. Laudes etiam conferuntur pluribus aliis remediis, ut sunt alchali volatile ad magnam dosim, ut promoveatur sudor; camphora; oleum; opium; moschus; aether sulphuricus; vinum; cortex peruvianus; radix valerianae sylvestris; nux vomica; faba S. Ignatii; atropa belladonna; stramonium; aconitum; hyoscyamus; helleborus, a Dioscoride praesertim, celebratus. No-

stris temporibus praedicatur acidum muriaticum oxygenatum, cum Clauzel nuntiaverit, hoc interius sumptum plures a rabido lupo demorsos servasse; et postea Brugnatelli retulisset casus, in quibus confirmatur hujus remedii virtus. Etenim si super vulnera ab animalibus rabidis inflicta applicetur, hydrophobiae impedit evolutionem. Praeterea hodie laudibus ornatur plantago aquatica, seu alisma plantago. Impetrata enim sanatio plurium hydrophoborum hujus radice lota, ad umbram exiccata, pane et butyro mixta perhibetur. Sed haec vis iteratis dumtaxat experimentis deprehendenda est. Cum vero hujus plantae succus acerrimus sit, et plura animalia pereant, si hanc edant, cavendum est, ne noceat. Plures etiam fluidum galvanicum probarunt, sed sine successu. Antequam vero huic generi imponamus finem, animadvertendum est, quod si quis hydrophobus moriatur, comburendum est quidquid hujus usui inserviebat; terque cubiculum, quo manebat, dealbandum. Si moriatur rure, ubi non sint cemeteria, in

fovea octo aut decem pedes profunda sepeliatur, stratoque calcis vivae contegatur; deinde terra et lapis superimponatur, ne cadaver aliquod vivum animal devoret.

GENUS QUINTUM

Ebrietas

§. 1837. Non est potio jucundior, nec utilior quam vinum, si hoc modice adhibeatur, quippe quae vires auget, exhilarat, et coctionem alimentorum faciliorem reddit; ex adverso si vino abutantur homines, obviam eunt pluribus morbis, et ebrietati pudendae. Per hanc rationem scribebat Hallerus = Omne vinum medicamentum est non potus = Etiam spirituosi liquores interdum utiles esse possunt, praesertim si vires in maximum deciderint languorem, aut ubi oporteat malos effectus frigoris et humiditatis vincere; sed damnosiores vino sunt, si in execrandum horum abusum delabamur; quoniam ve-

hementiorem, et funestiorem ebrietatem, et lethales morbos producunt. Ebrietas, graece μέθη, est cerebri et nervorum alteratio vel a malo vini usu, vel cerevisiae, vel liquorum spirituosorum genita, prius hilaritate, deinde delirio, aut profundo sopore distincta. A pluribus scriptoribus vocatur temulentia, aut delirium temulentum, et a Sauvages paraphrosyne temulenta. Distingui vero debet ebrius, μέθυσος, ab ebrioso, qui graece dicitur οἰνόληπτος, aut οἰνόφλυξ. Ebriosus enim est qui saepe ebrius fit, frequentisque ebrietatis effectus experitur, scilicet tremulus evadit et imbecillus. Ebrietas est turpe vitium quod ad alia disponit vitia, ideoque si est hominibus indecens, eo magis erit foeminis, quibus sensum pudoris aufert, illud nempe pretiosum naturae donum, quod eas reddit amabiles.

§. 1838. Symptomata ebrietatis in variis periodis varia sunt. In prima enim periodo ebrii sunt hilares, loquaces, curarum immemores, rubicundi; jucundam in se ipsis sensationem, calorem, vertiginem

experiuntur ; sitiunt ; libere perspirant ; urinam saepe reddunt ; eorum oculi lucidi ; pulsus est plenus , et fortis. Quapropter Horatius Od. XVIII. ad Quintilium Varum eleganter dixit =

Quis post vina gravem militiam aut pauperiem crepat ?
Quis non te potius Bacche pater teque decens venus ?

Incipit autem secunda periodus cum veniat delirium , et vertigines , unde ebrii frequenter cadunt , et objecta dupliciter vident ; absque simulatione loquuntur , veraque dicunt , et etiam secreta concredita , et quidem magni ponderis , omnibus patefaciunt , nec obscoena silent , nec decus respiciunt ; saepe quaeruntur , et amantur rixae. Nullus est philosophus , nec medicus , nec poeta , qui melius Horatio in pluribus locis , sed inprimis Od. cit. describat ebrietatis effectus. Inquit enim =

At ne quis modici transiliat munera Liberi ,
Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero
Debellata : monet Sithoniis non levis Evius :
Quum fas atque nefas exiguo fine libidinum
Discernunt avidi. =

Lib. autem I. Epistolar. epistol. V. ad Torquatum =

Quid non ebrietas designat? operta recludit,
Spes jubet esse ratas, in praelia tradit inermem,
Sollicitis animis onus eximit, addocet artes.
Foecundi calices qui non fecere disertum?
Contracta qui non in paupertate solutum? =

Tertia tandem periodus est cum exhauriuntur vires facies fit pallida, advenit vomitus, non bene pronunciantur verba, haesitatio linguae; munus sphincterum aboletur; status febrilis insurgit; mox somnus profundus plerumque accedit cum stertore; interdum convulsionum accessio; apoplexia; et etiam mors. Facile ebrietas cum apoplexia confundi potest, maxime cum ebrii sint soporosi, stertorosi, spumantes, eorumque pulsus sit fortis. Ebrietas etiam facile fingitur, quod re ipsa a furibus fit.

§. 1839. Pathologi veteres dicebant caussam proximam ebrietatis esse vehementem agitationem fluidi nervei in cere-

bro et nervis ab abusu vini, cerevisiae, et liquorum spirituosorum productam. Nos vero dicimus esse morbosam nervei systematis perturbationem ab hoc abusu venientem. Vinum autem, cerevisia, spiritus non solum ebrietatem, aliosque malos effectus inducunt propter illorum abusum, et variam constitutionem, et habitudinem bibentium, sed etiam propter variam qualitatem, et adulterationem, quae nostris temporibus ab improbis venditoribus vulgo fit. Vina quae magis inebriant sunt fortiora, vetera, parum diuretica; contra leviora, diuretica, aquea. Haec differentia evidens est inter vina nostrorum montium suburbanorum; nam illa Tusculi leviora, magisque diuretica facilius quam illa Albani tolerantur, utpote fortiora, minusque diuretica. Laudatissimum vinum rhenanum acidum est, diureticum, minus calefaciens alvumque aliquantisper ciet; ideoque minus inebriat, minusque nocet. Vina Lusitaniae cruda sunt, aliisque valentiora; idcirco non solum inebriant, sed etiam afferunt alvi duritiem. Sic cerevisia, si pa-

retur hordeo et aliqua quantitate humuli luppuli, quae det amaritudinis et constrictionis gradum cum majore quantitate aquae, vulgo dicitur parva aut levis, et est stomachica, jucunda, nec tam ad acescendum proclivis: si vero minor sit aquae quantitas, duplex illa humuli luppuli, dicitur fortis, quae est magis inebrians. Item liquores, si minus sint fervidi, et modice adhibeantur, utiles esse possunt; sed si sint nimis spirituosi, eorumque usus valde frequens, non solum ebrietatem, sed etiam innumera, et gravia pariunt mala, ut sunt induratio fibrarum ventriculi, et intestinorum; constrictio luminis vasorum sanguineorum; scirrhositates viscerum, et glandularum; arteriae, quae fiunt osseae; partes, et viscera inflammantur. Propter mala, quae oriuntur ab abusu vini plures fuerunt philosophi, et medici fere omnino vini usui adversi, inter quos divinus Plato, qui vinum concedebat senibus, et non solum hoc prohibebat pueris, sed etiam hominibus, qui quadragesimum aetatis annum non contigissent.

Sed vinum in statu salutis non solum est utile ad fibram animalem, ut inquit Haller modico usu confirmandam; sed etiam in plures morbos est praesentissimum remedium. Vinum interdum est auxilium in podagram. Sydenham utebatur canariensi vino, scilicet post prandium saepe bibebat exiguum hujus vini cyathum, et ad alimentorum digestionem obsecundandam, et ad impediendum ne in ventriculum gutta ascenderet. In tractatu de podagra pag. 167. = Multa egomet expertus sum in postremorum annorum paroxysmis ad mitigandum hoc symptoma, nihil vero aeque votis respondit ac vini canariensis haustulus subinde deglutitus, languore, atque aegritudine urgentibus: neque vel vinum gallicum rubrum, vel theriaca Andromachi, neque aliud quodlibet e cardiacis mihi hactenus notis pares habet vires. = Vina Lusitaniae ob roborantem et adstringentem vim diarrhoeas, aliosque immodicos cursus emendant, et sanant. Sic de aliis morbis, qui curantur vino dicendum est. Item cerevisia auxiliatur aegris diversis mor-

bis laborantibus. Cit. auctor eodem loco pag. 164. inquit ⩵ Non coenent itaque, qui podagrae sunt obnoxii; haustum tamen cerevisiae alicujus tenuioris liberaliorem sibi indulgeant; quandoquidem etiam renum calculo generando proclives fere sint tales; cujus concretio a liquore ejusmodi hoc tempore hausto multum impeditur, refrigeratis scil. ab eo renibus prolutisque. ⩵ Etiam spirituosi liquores aliquando mirifice juvant, ut in maxima virium dejectione, et dum homines exponuntur frigoris et humiditatis actioni. Si enim temperate adhibeantur, effectibus debilitantibus frigoris et humiditatis opponuntur, praesertim si hisce fiant lotiones, ut extremitatum inferiorum. Adulterationes autem vini, cerevisiae, liquorum spirituosorum tam dissimiles sunt, ut modo citius, modo tardius ebrietatem, aut alios pravos effectus valeant excire. Non solum autem ebrietas, et alia mala proveniunt ab intemperato horum liquorum haustu, sed etiam ab aliqua venenifera deglutita substantia, ut ab opio, hoyscyamo nigro,

atropa belladonna , solano hortense , datura stramonio , agarico muscario , etc. Hanc temulentiam Sauvages , ut alii scriptores , ponunt inter deliria , et ab eo vocatur paraphrosyne a venenis , ut illa a vino paraphrosyne temulenta. Hujusmodi vero venena praeter delirium quaedam educunt symptomata , quae peculiariter observari merentur. Etenim opium prius affert hilaritatem ; deinde audaciam , petulantiam , propensionem ad libidinem ; tandem stupiditatem , veternum , delirium , contractionem pupulae oculorum. Sectione cadaverum turgida reperiuntur vasa cerebri in ventriculo et in intestinis maculae sanguineae. Frequenter autem hyoscyami nigri radix confunditur cum alia planta , et ideo per errorem sumitur. Progignere solet vertigines ; stuporem , aut delirium ; risum sardonicum ; pulsum debilem , irregularem ; faciei pallorem ; sudores frigidos ; convulsiones. Si solani hortensis baccae comedantur , ebrietatis species , et delirium excitatur. Etiam atropa belladonna inebriat , et producit delirium , quod su-

binde ferox est ; vultus fit minax ; dilatantur pupulae ; molestant sitis , vomitus, stridor dentium ; supervenit musculorum faciei contorsio, et convulsiones. Datura stramonium mirum in modum incitat cerebrum , tamen aliquando delirium quod affert leve est , et ut in temulentia imaginationem animat , et ad venerem impellit; sed ut plurimum delirium est ingens, et profundus sopor. Propter hanc proprietatem ignominiosi lenones , et ganeones ad honestas mulieres decipiendas et violandas hac planta utuntur. Inquit Sauvages Tom. II. pag. 242. = ejusdem urbis canidia morti fuit addicta , quod puellas sic dementatas ganeonibus tradidisset. = Ab agarico muscario comesto seguitur quaedam ebrietas , quae prius generat laetitiam , et ad res venereas propensionem ; deinde delirium , tremores , convulsiones. Ex hisce , aliisque narcoticis componuntur venena , quae temulentiam , et delirium important. Sauvages loc. cit. pag. 245. loquitur de paraphrosyne magica = Apud Indos frequens est usus electuarii magici ex semine da-

turae, opio, et polline cannabis praecipue conflati, additis pro lubitu, aromatis, quae ferociam corrigant, et vitales spiritus roborent. De directione pharmaci, ad diversa pro lubitu inducendum phantasmata multum referuntur admiranda, sed partim incredibilia, partim fabulosa, ut maritum excoecari, dum adulter ejus torum conscendit. = Infra vero memorat medicamentum masticatorium in India vulgatissimum vulgo bethel, quod praeter oris correctionem inebriat, et exhilarat. Inquit = Kempherus vero Bethelem numquam potuit mandere, quin anxietates, sudorem frigidum et vertigines, aeque ac tabaci fumo experiretur. =

§. 1840. Plurimi sunt morbosi effectus qui ebrietate produci solent, ut vertigines; teter halitus; linguae vacillatio; palpitationes cordis; demissa alimenta digerendi vis; aciditates, et ardor ventriculi; somnus inquietus; ronchi; alvus, et vesica urinaria faeces et urinas non retinent; vexat tussis horis matutinis cum lacrymatione et expuitione, vomitu; pa-

ralyses; viscerum torpores, praesertim hepatis, unde veniunt calculi biliares, duritia, scirrhus, icterus, chronicae inflammationes; pustulae, et maculae, quae efflorescunt in facie. Plerique enim ebriosi erythemate, erysipelate, viscerumque inflammationibus laborant, et tandem in consumptionem labuntur; siquidem vires vitales ventriculi, et vasorum lacteorum exhauriuntur, unde lente perimitur digestio alimentorum, quae si animalia, gustui, et appetitui omnino refragantur. Ebriosi autem peculiaria vultus lineamenta adpiscuntur, et paullatim stupidi fiunt. Inquit Darwin Zoonom. vol. 2. Sect. XXI. 5. ebriosum cadere in stuporem propter nimiam amissionem potentiae sensoriae; et ut in apoplexia non alios remanere motus quam qui veniunt ab internis stimulis, a sensatione, et socialitate. Futura soboles etiam experitur effectus malos ebrietatis; nam obnoxia ut plurimum est stupiditati, maniae, epilepsiae, aliisque convulsivis, et sordidis cutaneis morbis; et quod pejus est, male morata crescit, vivit-

que. Ebrietas, ab abusu vini, cerevisiae, spirituosorum liquorum orta, est vitium, quod difficillime evellitur; tamen sancta saepe memorando religionis praecepta, demonstrandoque quam aliis ebrietas malo sit exemplo, propriae familiae damno, propriaeque existimationi opprobrio, interdum expugnatur.

§. 1841. Permiscere vinum aliqua nauseosa re, ut est in eo suffocatio anguillarum; aut infusio alicujus dosis tartrati stibii et potassae, aut est omnino inutile, quia beones immediate vinum ita temeratum agnoscunt, atque recusant; aut periculosum est, quia aliquando ab exigua etiam emetici dosi commovetur vomitus, qui in illis praecipue vitandus est, qui ad apoplexiam dispositionem habent. Etiam sine fructu, et discrimine plenum est, quod fieri solet in ebrietatis accessu, ut terrorem incutere; improvisa immersio in aquam frigidam; scarificationes facere; etc. Magis rationi et experientiae consonum est, ebrios in silentio et quiete, nudato capite, et fere erecto positu relinquere; deinde potiones exhibere ex aqua cum succo malo-

rum medicorum , aut aliae quae refrigerent. Praeterea clysteres ex aqua simplici, aut decoctione hordei aliquam utilitatem afferunt. Si vero in ebrietatis accessu alterius morbi periculum urgeat , maxime apoplexiae , usurpanda sunt illa remedia , quae magis opportuna videntur. Si ebrietas , et delirium veniat ab aliqua venefica substantia , bonum est , si hujus quantitas exigua fuerit ; et vomitus aut sponte aut arte prompte excitetur , ut illa ejiciatur : malum si veneni quantitas magna fuerit , et vomitu nihil hujus reddebatur, et jam manifestentur nervosa symptomata, praesertim delirium , sopor , tremores, convulsiones. Indubium est , quin enumerata venena afferant leve temulentiae gradum , si parva quantitate fuerint deglutita ; contra accidit mors. Quapropter spontaneus vomitus obsecundetur , secus emetico est promovendus. Si vero ex signis deprehendantur sanguinis congestiones , et viscerum inflammationes , celebrandae sunt venae sectiones , maxime si temperamentum sit plethoricum. Si enim debilis sit

constitutio corporis, tutiores sunt hirudines, vel scarificantes cucurbitulae. Juvant etiam pediluvia tepida, et clysteres ex simplici aqua et aceto. Si desint inflammationes ventriculi et intestinorum, interdum dari etiam potest acetum; sed si qua extet inflammatio dandum est lac, et mucilaginosa remedia. Si venenum descenderit in itestina, ut detrudatur, serum lactis tamarindatum porrigatur. Denique si vires deficiant, studiose sustinendae sunt.

GENUS SEXTUM

Dyspnoea

§. 1842. In statu perfectae salutis nullum est respirationi obstaculum, quae ita facilis est, et expedita, ut homines tria quibus componitur tempora non animadvertant, nempe illud inspirationis, quo aer in pulmones intromittitur; aliud haematosis, sive contactus aëris cum venoso sanguine; tertium expirationis, quo expellitur

aer, qui vivificabat sanguinem ipsum. Inspirationem vero, quae longiore tempore absolvitur, expiratio sequitur propter necessitatem quietis, quam habent potentiae, quae inspirationi famulantur. In statu autem morboso respiratio, ejusque motus multiformiter laeduntur. Inspiratio enim offenditur a morbis pulmonum, cordis, magnorum, vasorum, diaphragmatis, viscerum abdominalium; a paralysi musculorum intercostalium, aliorumque qui ad elevandum et dilatandum pectus inserviunt; a resolutione nervorum, qui ad hosce feruntur musculos; a qualitatibus aëris: expiratio autem male afficitur a laxitate, debilitate, et inertia pulmonum; a spasmis bronchiorum, et diaphragmatis; a qualitatibus aëris, ut a nimia hujus elasticitate, quae vim pulmonum contractilem superet. Quaecumque vero sit laesae inspirationis vel expirationis origo, illa respirationis difficultas consequitur, quae non solum a gradu, sed etiam a quibusdam symptomatis distinguitur. Haec igitur difficultas quoad gradum leviorem vel gravio-

rem, et quoad symptomata vel leviora vel graviora dividitur in dyspnoeam, asthma, orthopnoeam, et apnoeam. A dyspnoea ideo incipiamus.

§. 1843. Dyspnoea, δύσπνοια, est levior gradus respirationis difficilis quamvis graeca vox difficilem respirationem significat; et qui aegre respirant, dicuntur dyspnoici, δυσπνοϊκοὶ. Dyspnoea est primaria, symptomatica, traumatica. Aliquando enim nascitur a caussis, quae directe agunt in pulmones, et respirationem nocent; aliquando a morbis, a quibus deducit nomen, ideoque dyspnoea aneurysmatica, rachitica, scorbutica, polyposa, calculosa, tympanitica appellatur; aliquando ab externis injuriis, ut a contusionibus, ictibus, vulneribus pectoris, per quae sanguis intra pectoris cavitatem diffunditur. Generalia signa primariae dyspnoeae sunt tussis, oppressio pectoris, anxietas; nec ut in asthmate est cum difficultate respirationis sibilus. Particularia vero sunt illa signa, quae specialem dyspnoeae caussam designant. Si igitur a pituita vel lympha na-

scatur, quae pulmones relaxet et infer- ciat, cognoscitur non solum a generalibus signis, sed etiam a faciei pallore; oede- mate pedum circa vesperam; expectora- tione materiei pituitosae, quae non pa- rum sublevat; aucta difficultate respiran- di a supino cubatu: si a plethora, ingens deprehenditur sanguinis vis; retinetur ali- quis consuetus sanguinis fluxus; tanta inter- dum est respirationis difficultas, ut imminere suffocatio videatur; pulsus est plenus, et durus; facies saepe rubra: si ab adiapneu- stia, ἀδιαπνευστία, scilicet ab impedita perspiratione, contingit improvisa et con- stans cutis ariditas, eodemque tempore anhelatio et oppressio pectoris. Si autem dyspnoea symptomatica sit, observanda sunt signa, quae de natura primarii mor- bi testantur; quamvis non semper haec signa conspicua sunt, ideoque non ante exstispicium qui primarius fuerit morbus cognoscitur. Sunt enim plures morbi quo- rum existentia anceps est, ut magnitudo nimia cordis; adiposum cor; angustia aor- tae, cum nempe ejus parietes crassiores

sunt; flatuum collectio in pulmonibus, quae eorum constituit emphysema; concretio polyposa in bronchiis; hydatides; steatomata; vomica; tubercula cruda pulmonum. Nihilominus horum morborum interdum signa apertius reteguntur. Etenim in vitiis cordis et vasorum, pulsus constanter inaequales sunt; nec desunt palpitationes, et animi deliquia: ubi latent hydatides, respiratio est operosa et frequens; somnus inquietus, interruptus, non restaurans; vexat multa sitis; genae rubent circumscripto rubore; surgit vespertina febris; sputa sunt pauca: si existat emphysema pulmonum, maximum est respirationis, et circulationis incommodum, ut interdum anima intercludi videatur; saepe etiam emphysema in externis partibus, ut in uberibus cernitur: steatomata raro offerunt clara et tuta signa, tamen non deest tussis, febris quae identidem promovetur, licet haec eadem signa comparent in affectione tuberculosa; non raro etiam in externis partibus aliquod comparet steatoma: dum est vomica, mo-

lestat tussis, languor, dolor obscurus in pectore, maxime sub vehementi tussi; saepe febricula; et versus morbi finem expectoratio puris: si cruda tubercula occultentur, excruciat tussis; consumitur corpus; respiratio est parva, frequens; premit sitis; parum expuitur. Interdum ab expuitione cognoscitur primarius morbus; nam vel concretio polyposa, vel calculi, vel hydatides expectorantur. Sunt vero morbi, qui evidentius frontem explicant, ut tympanites, rachitis, scorbutus, aneurysmata, viscerum abdominalium obstructiones. Tandem si dyspnoea sit traumatica ab ipsis externis laesionibus cognoscitur.

§. 1844. Caussa proxima dyspnoeae est quidquid opponitur respirationis potentiis ad hujus tempora persolvenda. Caussae praedisponentes sunt temperamentum plethoricum, pituitosum, nervosum, laxum, et haereditaria dispositio. Excitantes caussae sunt plethora, concursus pituitae, et lymphae ad pulmones; uno temporis puncto repressa insensibilis perspiratio; exercitium quarundam artium, ut chemiae; aër in-

fectus impuris exhalationibus; quaedam aëris qualitates, ut humido-calida; cibus nimis nutriens; retentiones exonerationum sanguinearum; abusus potionum spirituosarum; vita otiosa, iners; violentae corporis exercitationes; prava pectoris structura. Caussae vero dyspnoeae symptomaticae ipsi morbi primarii sunt, quorum frequentiores rachitis, vitia cordis et majorum vasorum; viscerum abdominalium obstructiones; tubercula pulmonum.

§. 1845. Dyspnoeae praesagium a caussarum pondere deducitur. Etenim si dyspnoea nascatur a plethora; ab aliqua retenta exinanitione sanguinea; ab erroribus diaetae, vincibilis est. Curatu vero difficilis est quae contingit in temperamento pituitoso, et oriatur ab illuvie pituitae ad pulmones, maxime si pluries inflammationes pectoris, vel catarrhales affectus praecesserint. Est autem insanabilis si proveniat a prava pectoris structura. Sic si dyspnoea symptomatica sit, praenoscitur eventus ab ipsis primariis morbis vel sanabilibus, vel insanabilibus. Sanari possunt

obstructiones viscerum abdominalium; tympanites intestinorum; turbercula cruda pulmonum saepe , ut steatomata, transire possunt in phthisim ; insanabilia sunt vitia cordis et magnorum vasorum, pravae conformationes costarum , sterni , et cartilaginis ensiformis in rachitide. Vidi dyspnoeam ab expuitione calculorum sanatam, ut et alii viderunt. Sic feliciter pulmonum hydatides expulsae fuerunt.

§. 1846. Sectione cadaverum observatione digna plura reperiuntur. In illis qui diu passi sunt dyspnoeam a pituita , hac infarcti deprehenduntur pulmones. Hi interdum fere exiccati sese offerunt. Saepe offenduntur in glandulis bronchialibus calculi duri , inaequales , asperi; steatomata, hydatides ; vomicae ; vitia cordis , et arteriarum , et ossium pectoris ; aër in pulmonum parenchymate ; concretiones polyposae in bronchiis. Morgagni Epist. XVII. 19. refert in pulmonibus reperiisse pluribus et in locis globulos materiae tartareae, ubique autem multo sero pulmones ipsos refertos. Sömmering non solum in glan-

dulis lymphaticis sed etiam in pulmonibus reperiit lapides, et terreas concretiones. Interdum adinveniuntur pulmones aëre distenti, qui perfecte ambas pectoris cavitates adimplent. Invenit Sauvages aërem dispersum per membranam cellularem pulmonum, unde vesicae elasticae pugno majores; vidit etiam pulmones in terram projectos vi elastica resilire. Raro pulmonales cellulae dilatatae inspiciuntur, ab aëre scilicet in ipsis cumulato protensae. Ter tamen hoc vidisse affirmat Baille. Observavit etiam aliquas vesiculas aëre plenas ad pulmonum margines adhaerere. Frequenter vero animadvertuntur viscerum abdominalium obstructiones; et interdum aucta renum moles; ingens mesenterii tumor.

§. 1847. Dyspnoea primaria, quae nascitur a plethora, curatur sanguinis missionibus generalibus et localibus, praesertim si proveniat ab aliquo fluxu sanguinis retento; victu tenui; potionibus diluentibus: quae vero producatur a muccositate, pituita, lympha, exposcit aliquod laxativum, ut sunt salia neutra,

manna ; etiam aliquod leve emeticum; expectorantia, et resolventia , ut oxymel scilliticum , chermes minerale , gummi ammoniacum , sapo venetus ; sic maniluvia, pediluvia , clysteres , vesicantia : quae a spasmis, antispasmodica : quae a nimia nutritione , alimenta imminuantur , aut illa eligantur quae minus materiei alibilis contineant : quae ab aëre per pulmones diffuso , sanguinis missiones , emollientia , bechica , carminativa , paregorica , ut lac cum infuso florum chamomillae , aut seminum foeniculi. Si vero dyspnoea sit symptomatica quisque videt , quam dispar esse debeat curatio. Si enim est symptoma hydropis pectoris , conveniunt aperientia , diuretica , expectorantia , ut scilla, digitalis purpurea , gummi ammoniacum : si obstructionum viscerum abdominalium, deobstruentia , et aperientia , praesertim rhabarbarum : si calculorum in pulmonibus , sapo venetus , gummi ammoniacum , lac, maxime si macies , et febris hectica accedant : si scorbuti , antiscorbutica , praesertim lac : si affectionis gastricae, prius pur-

gantia, et emetica, deinde quae robur ventriculo restituant. Tempore gestationis interdum contingit dyspnoea, quae quamvis saepe veniat ab abundantia sanguinis, ideoque utilis est sanguinis missio, nihilominus subinde magis confert aliquod leve purgans; subinde antispasmodica; subinde tonica; idque secundum caussas, quae praeter abdominis distentionem difficultati respirationis ansam praebent.

GENUS SEPTIMUM

Asthma

§. 1848. Asthma, ἆσθμα, est difficilis respiratio cum sibilo et oppressione pectoris, ut plurimum ad intervalla recurrens. Non eodem modo veteres et recentiores hunc morbum dividunt. Primi enim respiciunt naturam, originem, diuturnitatem, et procedendi rationem; ideoque dicunt esse humidum, et siccum; convulsivum, spasmodicum, flatulentum; sanguineum, pituitosum, purulentum, scir-

rhosum; chronicum, idest chronicam et periodicam respirandi difficultatem, et continuum. Recentiores autem distribuunt asthma in acutum, seu asthma Millari, et chronicum. Primum vero quod corripit pueros non est nisi pertussis, aut tussis convulsiva vehemens et suffocans; aliud, quod etiam vocant asthma adultorum, est chronica et periodica anhelatio. Praeterea observandum est, quod Darwin appellat asthma dolorem afferens, illum morbum, qui ab aliis recentioribus vocatur angina pectoris, quae plerumque est symptoma vitiorum cordis, majorumque vasorum. Sed ut confusionem, quantum per me licet, removeam, dividendum videtur asthma in primarium, symptomaticum, secundarium. Primarium non nascitur ab aliis morbis, et humidum est vel siccum. Est humidum si adsit tussis cum expuitione; siccum, si tussis desit, et ubi adest nihil expuitur. Siccum vocari etiam potest convulsivum, quia plerumque producitur a caussis, quae nervos afficiunt. Asthma igitur humidum, et siccum, cum habeant

specificos characteres, constituunt duas species ejusdem generis.

§. 1849. Symptomata asthmatis aut prodroma sunt, aut constituentia. Haec vero aut communia sunt, aut specialia, quae scilicet indicant asthmatis ipsius species. Non semper occurrunt prodroma, sed non raro ante paroxysmum in observatione sunt. Haec praecipua et frequentiora sunt insolitus stupor; inquietudo; flatus, et ructus; stomachi et intestinorum distensiones; stricturae et puncturae pectoris; vigilia aut somnus horrendis visis perturbatus; tussis; lingua arida; frequens desiderium reddendi urinas. Constituentia autem prodeunt sub ipsa asthmatis accessione, ut difficilis respiratio cum sibilo; angustia pectoris; tussis; anxietas; sitis; vomitus materiarum biliosarum, muccosarum, pituitosarum; pulsus parvi, inaequales, intermittentes, rari; necessitas linquendi lectum, et aperiendi fenestras, quo liberius respirari possit; palpitatio cordis; oculi in uno obtutu haerentes; facies rubra, pallida; livida; nasi pinnae diducuntur; agi-

tatio humerorum, scapularum, clavicularum, et abdominis; capitis dolor; vespertina exacerbatio omnium symptomatum; vox fit debilior; frigent extrema; sudor etiam frigidus manat circa frontem; urget animae interclusionis timor. Adveniente aurorae lumine omnia remittuntur symptomata, et saepe non deficit copiosa materiarum muccosarum expuitio, et respiratio fit liberior, et vultus naturalis; urina redditur rubra et sedimentosa; redit calor, et somnus. Accessiones asthmatis, quae ut plurimum contingunt noctu, per aliquot dies persistunt, deinde evanescunt, et per intervalla remeant; sed saepe plurium mensium intervallum relinquunt. Si contingat quod sola inspiratio impediatur, oculi inflantur; genae fiunt rubro-fuscae; labia livescunt. Sed veniamus ad signa propria specierum.

§. 1850. Si in asthmate humido non desint prodroma, haec ut plurimum sunt, ructus; plenitudo stomachi; praecordiorum angustia; calor; proclivitas ad somnum; pandiculatio, et oscitatio; anxie-

tas; raucedo; inspiratio molesta; humida tussis; urina multa et aquea noctu secernitur. Cum vero incipiat paroxysmus, respiratio fit difficilis cum sibilo; instat necessitas deserendi lectum, quo commodius, et expeditius respiretur; angusta est inspiratio, sed expiratio angustior, quae est lenta, tarda, stertorosa; ingens est rerum frigidarum desiderium; sensim pulsus fit debilis, et intermittens; manus et pedes frigefiunt; livet facies; difficilis est deglutitio; prominent oculi; lacrymae defluunt. Interdum accessus non extenduntur ultra paucas horas, et viscosa excreatione terminantur; interdum ad plures dies protrahuntur. Ut plurimum vero paroxysmi expuitione materiarum muccosarum, et cum levamine in exitum veniunt; nam pulsus jam contractus, vixque sensibilis concitatur, et circulatio sanguinis liberius absolvitur. Si vero asthma sit siccum, vel convulsivum signa prodroma aliquot horis ante paroxysmum comparent, ut motuum difficultas; stomachi tumor, et circa vesperam totius epigastrii tensio; oppressio,

et constrictio pectoris, unde respiratio non expedita, vox rauca, sicca tussis, grave caput. Noctu aggreditur accessus, et tum exposita symptomata extenduntur, et tam laboriosa est respiratio, ut necesse sit e lecto surgere, et ad respirationem ipsam adjuvandam aperire fenestras; elevatur collum, et extolluntur humeri, ut quantum fieri possit dilatetur pectus; nulla est expuitio; convulsiones in variis partibus, maxime extremitatum inferiorum crampi adoriuntur. Per aliquot dies paroxysmus perseverat, et in ejus cursu molestat praecordiorum anxietas; comprimitur alvus; tussis premit arida; pulsus est frequens, inaequalis; aliquis algor, et calor insilit alternis; urina non coloratur. Versus autem paroxysmi finem, gradatim minuuntur symptomata; idcirco tussis evadit humida; urina pellitur copiosior, magisque colorata cum lateritio sedimine; aeque calor per corpus distribuitur, quod sudore madefit; respiratio liberius absolvitur; pulsus naturaliter ferit; redit appetitus; et tandem desinit paroxysmus. Ut vero oculis subjicia-

mus, quae sit differentia, aut similitudo inter has asthmatis species, et illos morbos, qui asthma Millari, et dolorificum Darwinii dicuntur, oportet, ut breviter utriusque exponamus symptomata.

§. 1851. Diximus asthma Millari non esse nisi pertusim, quod hujus symptomata plane demonstrant. Ut plurimum enim noctu corripit pueros repentina strangulatione, unde aegri expergefacti tussiunt, ejulant, et strepitu pectoris vocem clangosam edunt; respiratio difficilis est et sonora; costae et thorax vix extolli possunt; maximus est praecordiorum angor; pulsus deficiens; vultus tumidus; venae tumentes; ejiciuntur alimenta; expuuntur viscosi humores; inflatur abdomen; comprimitur alvus; pauca, et aquosa redditur urina. Absoluto paroxysmo symptomata mitescunt, scilicet respiratio fit liberior; pulsus sunt regulares; urina turbatur. Post duodecim aut plures horas iterum aggreditur insultus iisdem symptomatibus, sed gravioribus; nempe major est sensus strangulationis; pulsus languet; a capite et pectore sudor frigidus exit; facies

livet ; hebescunt oculi, qui sunt sine splendore, et excavantur ; interdum accenditur febris ; supervenit delirium ; suscitantur convulsiones ; et aeger finem vitae tangit. Asthma vero dolorificum Darwinii habet diversa nomina. Hoc Heberden vocavit anginam pectoris; Brera sternocardiam ; Parry syncopem anginosam ; Sprengel sternodiniam syncopalem. Dolorificum asthma, quod est angina pectoris recentiorum, si sit primarium, est nervosa affectio pulmonis, ideoque arbitror, ad asthma convulsivum pertinere ; si vero sit symptomaticum, nascitur ut plurimum a cordis vitiis et vasorum. Symptomata hujus morbi, quae modo noctu, modo diu contingunt, sunt oppressio dolorosa, quae in parte media sterni per intervalla corripit, unde etiam dolorosa respiratio est ; molesta et pungens sensatio quae fere sub sinistra mamma torquet, et ad brachium saepe extenditur ; hoc brachium non raro torpet; motus cordis imminuitur, et perturbatur; pulsus est varius et irregularis; superveniunt vertigines, animi deliquia, tussis, suffocatio-

nes convulsivae; respiratio fere consistit; facies modo pallida, modo rubra; erumpit frigidus sudor; urina fit aquea; aegri exiliunt de lecto agitanturque. Primi paroxysmi acerbi sunt et breves; postea fiunt longiores et graviores, et pulsus etiam admodum debiles fiunt. Cum vero asthma dolorificum, sive angina pectoris symptomatica eat, evidentia sunt signa vitiorum cordis, vasorumque. Pathologi qui contendunt anginam pectoris esse particularem morbum, inquiunt ab asthmate differre, quia in illa respiratio liberior et deest tussis; quod observationibus non respondet; nam in asthmate dolorifico, aut angina pectoris inter symptomata saepe tussis est, et dolorosa respiratio. Alii etiam sunt, qui anginam pectoris valde esse rheumati, et guttae affinem arbitrantur; sed hujusmodi morbus contingit in illis qui nec rheumate nec podagra laborarunt, nec ad hasce aegritudines proclivitatem habent.

§. 1852. Si asthma sit symptomaticum, saepe clara sunt signa primarii morbi; aliquando obscura, et ambigua. Si

asthma sit symptoma affectionis hypochondriacae, vel hystericae; aut febrium intermittentium, maxime perniciosarum; aut vitiorum cordis, et vasorum; aut pravae pectoris structurae lucida signa sunt; sed in aliis morbis obscura, ut in polypo cordis, qui saepissime tum cognoscitur, cum secetur cadaver; nam vel in auriculis, vel in ventriculis illius reperitur. Attamen etiam in polypo cordis non tam sunt illius foenomena tenebricosa ; siquidem dum in hoc viscere concretiones polyposae absconduntur, vehementes sunt palpitationes; longa est pulsuum intermissio; temperamentum est plerumque sanguineum. In cachexiis datur asthma, quod praeteritae memoriae scriptores acrimoniae seri tribuebant; quae quamvis in debilibus, cachecticis, et senibus extet ; nihilominus oriri probabilius a debilitate, vel a nimia nervorum sensibilitate videtur. Aliquando asthma est symptoma graviorum affectionum catarrhalium, ut a sternutatione, coryza, raucedine, tussi, inflammatione gutturis deducitur; et tum aut cum affectionibus istis evanescit, aut

cum pervicacibus conjungitur catarrhis, et est asthma humidum, quod saepe redit per periodos. Tandem asthma interdum est secundarium, quod scilicet excipit morborum retrocessionem, ut podagrae, rheumatismi, erysipelatis, variolarum, morbillorum, purpurae, herpetis, scabiei, etc; et ab ipsa retrocessione cognoscitur, et ab ejus cessatione, si ad propriam sedem regressi morbi restituantur.

§. 1853. Multiplices sunt auctorum opiniones quoad caussam proximam asthmatis. Cullen enim eam posuit in spasmodica fibrarum muscularium bronchiorum constrictione; sed haec constrictio habenda est ut morbosae conditionis nervorum effectus: alii in irritatione cavitatum aërearum; sed non semper comparent irritationis signa: alii in debilitate nervosi systematis, potissimum plexus pulmonaris; sed non semper haec debilitas deprehendi potest: alii in debilitate cordis vasorumque, ideoque per defectum incitamenti sanguis debiliter propellitur, nec pulmonaria vasa satis implet, quae deficiente stimulo infirme rea-

gunt; et etiam propter hanc constitutam debilitatem multa humorum lymphaticorum vis a vasis exhalantibus transmittitur, quae non invicem ab absorbentibus hauritur, unde aër non libere agit in pulmones, proindeque foenomena asthmatis exoriuntur; quid? non saepe forsan contingit asthma in robustis hominibus, in quibus nullo modo conjici potest hujusmodi cordis, vasorum debilitas? Verum probabile videtur haec caussa non in debilitate, sed in morbosa conditione plexus nervosi pulmonaris consistere, quae vero nobis lucide exponi non potest. Veniamus modo ad caussas remotas. Homines plus quam foeminae asthmate laborant. Frequenter per haereditariam dispositionem evolvitur asthma; sed tum non circa quadragesimum aetatis annum, ut in aliis solet, sed in primaeva juventute comparet. Plurimae autem et inter se oppositae caussae excitantes sunt, ut sanguis peccans quoad quantitatem, et qualitatem; aër humidus et frigidus; animi pathemata; colluvies serosa, pituitosa, muccosa; vapo-

tes sulphurei arsenicales, plumbei, antimoniales; ingestio fungorum, et plantarum veneniferarum; exercitatio quarundam artium, unde frequenter prehenduntur asthmate operarii ad fodinas, muratores, lapicidae, gypsarii, granorum cribratores et mensores, molitores, lanae lini cannabis carminatores; etc. Plurimi etiam sunt morbi vel acuti vel chronici qui asthmati symptomatico et secundario occasionem praebent, ut affectio hysterica, et hypochondriaca; podagra; rachitis; vitia cordis, et vasorum; exanthemata, et impetigines; cachexiae; affectiones catarrhales, et rheumaticae; lues venerea; scorbutus; febres; pectoris hydrops; polypi, vel concretiones polyposae et sanguineae in majoribus vasis, et in cavitatibus cordis; materiae exsiccatorum ulcerum ad pectus translatae; suppressio haemorrhoidum, menstruorum, aut alterius habitualis fluxus; etc. Asthma Millari, quod ut supra diximus idem morbus est ac pertussis, interdum epidemicum est, et easdem ac hujus habet caussas, ut praesertim sunt

aër frigidus, et humidus; vicissitudines caloris et frigoris; nocuae particulae per aërem volitantes. Asthma autem dolorificum Darwinii, seu angina pectoris recentiorum, si primarium sit easdem caussas habet asthmatis, quae potissimum sunt violentae exercitationes corporis; validae compressiones pectoris; nimis frequentes epulae. Si hoc asthma sit symptomaticum, est, ut innuimus, symptoma vitiorum cordis et vasorum; duritiei osseae arteriarum coronariarum; concretionum polyposarum cordis; compressionis aortae, proximorumque vasorum; ossearum valvularum semilunarium. Siquidem scriptores hanc anginae pectoris distinctionem ut nos non faciunt, ideo circa caussam hujus morbi proximam diversas opiniones proferunt. Etenim alii esse laesionem pulmonum; alii affectionem morbosam nervorum, qui per pulmones distribuuntur; alii vitia cordis, et vasorum; alii nimiam pinguedinem omenti, pericardii, mediastini; alii podagram, aut rheuma circa pulmones, et cor palans; alii cum Brera compressionem habitua-

lem, et continuam cordis , quae huic nobilissimo visceri vires aufert, motuumque libertatem , existimant.

§. 1854. Asthma est rebellis , et periculosus morbus , utpote ad graves , et saepe lethales affectus conducit , ut sunt aneurysmata cordis et vasorum ; hydrothorax ; apoplexia; maxime si inveteratum sit, et in senibus contingat. Inquit Klein op. cit. pag. 25. = Asthma morbus anceps est et pertinax. Juvenes difficulter eodem liberantur, senes nunquam, sed eos ad mortem fere comitatur. Infantes suffocat, ni matura sit medicatio. = Sed ut rationaliter hujus morbi exitum praenoscere velimus, oportet ut speciem , aegri aetatem, sexum, anni tempestatem , symptomata exquiramus. Si enim asthma sit humidum , ut plurimum tenax est, et facile in hydropem pectoris, aut in illum universalem transilit. Asthma siccum interdum vertitur in humidum, et cum levamine expuitur pituita ; sed si deleantur vires , haec mutatio funesta est. Asthma siccum est convulsivum, quod cum grave sit , et indo-

mitum, saepe hydropem pectoris; haemoptysin; apoplexiam infert; si vero sit gravius, paucis diebus enecat. Asthma haereditarium ut plurimum sanari non potest. Asthma Millari, ut videbimus de pertussi disputaturi, est acutissimus, et periculosissimus morbus. Asthma dolorificum Darwinii est maximi discriminis, quippe quod paullatim irritabilitatem cordis imminuit; et quo magis frequentes, et vehementes sunt ejus paroxysmi, eo magis lamentabilis exitus timendus est. Asthma symptomaticum interdum cito lethale est, ut in suffocanti catarrho; interdum insanabile, ut in vitiis cordis, et vasorum, steatomate, et scirrhosis tuberculis pulmonum, ingenti et deformi pectoris gibbo; interdum maxime periculosum, ut in pleuritide, et peripneumonia. Asthma secundarium, quod oritur a materiis morbosis ad pectus translatis, persaepe transit in phthisin. Asthma autem magis laedit aetate confectos, viros, puerosque, quam juvenes, et mulieres; magis excruciat hyeme et noctu, quam aestate diuque. Quoad autem

symptomata, subinde asthma per abundantem sudorem; urinas; alvi dejectiones; haemorrhoidum fluxum; menstruorum reditum; calculos, qui rejiciuntur ab ore, solvitur. Alia vero foenomena infausta sunt, ut respiratio brevis et frequens; debilitas et irregularitas pulsuum; maxima virium dejectio; paralysis extremitatum superiorum; palpitationes cordis; urinae paucae; tumor pedum, ex quo praecipue timendus est hydrops; frequentia animi deliquia; quae exitiabilia sunt. Inquit autem Hippocrates aphor. XLVI. sect. 6. = Quicumque ex asthmate aut tussi gibbosi fiunt, ante pubertatem moriuntur. = Non raro vero asthma periculosius evadit caussa malae curationis, praesertim abusu venae sectionum, unde facile in cachexiam, vel in hydropem pectoris, vel universalem transit. Tandem observandum est, quod plures sunt morbi, qui cum asthmate alternis agunt, scilicet saepe se invicem excipiunt, ut auditus difficultas; arthritis; dysuria; alvi fluxus. Hoc practicorum observationibus confirmatur. Inquit Riverius

Prax. Medic. lib. VIII. cap. I. pag. 105. = Vidimus etiam quosdam asthmaticos alvi fluxui obnoxios, ita ut praesenti alvi fluxu ab asthmate liberi essent; eo vero cessante asthmatis paroxysmi redirent. =

§. 1855. In asthmaticorum pulmonibus quaedam observabilia cernuntur. Interdum enim sunt molles et dum dividuntur cultro in membrana cellulari invenitur aqua, ex qua cellulae aëreae comprimebantur, unde tanta oriebatur respirationis molestia. Interdum in bronchiis considerabilis est humoris crassi, et pituitosi quantitas, ex qua anhelatio cum sonitu habebat originem. Interdum pulmones spectantur duri, eorumque substantia illi hepatis similis est, quod praegressam inflammationem demonstrat, ex qua in pulmonari substantia cumulatur lympha coagulabilis, unde illa durities nata est. Interdum concretiones terreae; calculi; hydatides; steatomata; tubercula plus vel minus dura; polypi cordis; hujusce visceris, et vasorum vitia comperiuntur. Non solum autem in pulmonibus, et in bron-

chiis, sed etiam subinde in trachea, et in larynge aliquid morbosi deprehenditur, praesertim materies crassa, et pituitosa, aut purulenta, aut ipsum pus. Morgagni Epist. XV. n.° 13. dum loquitur de virgine asthmatica hanc observationem refert. = Pus enim ex albo cinereum, et quasi pultaceum, formatum in obturamenti modum, occludebat penitus cavum laryngis, quod intra glottidem est: eoque loco tunica laryngem convestiens erat exulcerata, quemadmodum et qua proximos annulos aliquot tracheae arteriae operiebat; quanquam hic levius. =

§. 1856. Curatio asthmatis alia est in paroxysmo, alia post ipsum paroxysmum. Cum hic corripiat, locandus est aeger in amplo cubiculo, et ubi aër sit purus, et subfrigidus, et statim examinanda sunt symptomata, quae asthmatis differentiam indicant. Si igitur aeger sit robustus, aliquo sanguinis profluvio orbatus; pulsus sint pleni; expedit venae sectio; levia cathartica; clysteres emollientes; potiones diluentes, ut decoctio hordei simplex, vel

cum nitro; balnea pedum, vel manuum: si contra aeger sit debilis, eligenda sunt incitantia, ut aether sulphuricus; tinctura castorei; spiritus nitri dulcis: si vero temperamentum aegri lymphaticum sit, et signa demonstrent esse asthma humidum, humoris lymphatici, crassi, pituitosi oportet excretioni favere substantiis oleosis, gummosis, saponaceis, incidentibus, ut sunt oleum amygdalarum dulcium, syrupus althaeae, gummi ammoniacum, sapo venetus, chermes minerale, oxymel, acetum scilliticum, radix scillae, spiritus nitri dulcis, oxymel scilliticum. Interdum etiam aliquod purgans juvat, praecipue ubi alvus nimium clauditur. Cavendum vero est ab abusu purgantium, ne asthma in hydropem pectoris abeat. In quibusdam juvit tabaci fumus. Si asthma sit convulsivum, in ejus insultu frictiones conferunt, quae cum pannis laneis mane et vespere fiunt; vesicantia, sinapismata, fonticuli, setacea; deinde quae molliunt, laxant, spasmosque placant, ut liquor anodynus; sal sedativum Hombergi; liquor C. C. suc-

cinatus; camphora; opium, ejusque composita; moschus, qui interdum ad grani dosim mirabiles produxit effectus. Etiam in hoc asthmate utilis subinde fuit tabaci fumus. A quibusdam autem recentioribus propter narcoticam virtutem celebratur stramonium; sed quia potest officere, adhibeatur potius fumus capitum papaveris albi. Ab aliis etiam laudantur balnea frigida, et gas oxygenium aëri atmosphaerico mixtum; sed nescio an haec idonea sint. In paroxysmis cujusvis asthmatis victus consistat prius in jusculis, et cremoribus; postea concedantur ova, leves carnes et pisces, maturi fructus, et vinum aqua dilutum. Post paroxysmum asthmatis talis curatio sit, ut, quantum fieri potest, ille amoveatur. Si generatim loquamur, ut plurimum juvant quae nervos roborant, ut infusiones amarae; cortex peruvianus; valeriana sylvestris; praeparationes ferri, praesertim hujus carbonas et sulphas; aquae minerales: sic alimenta levia, animalia potius quam vegetabilia, et quae facile digeruntur; sedulo liquores spirituosi evi-

tentur. Praeterea curandum est, ut regulares sint alvi dejectiones; vere et autumno applicentur hirudines; identidem commodum est colere salubria rura; clima sit siccum, et constans. Si vero asthma sit humidum, post paroxysmum, utile est lac, aut serum lactis depuratum; decoctiones quae humores corrigunt; aquae minerales; aliquod emunctorium, maxime fonticuli; equitatio; rusticatio. Etiam post paroxysmum asthmatis sicci, juvat rusticari; morari ubi aër purus est et serenus, licet quidam melius se habeant in urbe, quam ruri, et ubi respiratur gravis aër et nebulosus, quam purus et clarus; aquae minerales acidulae ferratae; modica corporis exercitatio; a curis et studiis procul vivere, quia princeps remedium est animi quies; grata facere itinera. Omnia enim haec nervorum roborant systema. Curatio vero asthmatis Millari non differt ab illa pertussis, quam postea exponemus: sic curatio asthmatis dolorifici Darwinii, sive anginae pectoris, si primaria sit, similis est illi asthmatis primarii. Si autem

asthma sit symptomaticum, qui sit primarius morbus, videre est. Si sit affectio hysterica, vel hypochondriaca; vel menstruorum, vel haemorrhoidum retentio; vel lues venerea; vel febres intermittentes; vel vitia cordis, et vasorum; in hos morbos diligentiam in primis conferre debemus. Si tandem asthma sit secundarium a materiis retropulsis, et ad pectus translatis natum, ut ab illa podagrae, exanthematum, et impetiginum, prompte applicari debent vesicantia, aut fonticuli ad brachia, et etiam inter scapulas; nec omittenda quae has materias ad propriam sedem cieant.

GENUS OCTAVUM

Orthopnoea

§. 1857. Orthopnoea, ὀρθόπνοια, quasi recta spiratio, quia tam difficilis et stertorosa est, ut aeger ne suffocetur, magno conatu erectam cervicem teneat. Hoc

morbi genus ab asthmate, differt, quia non aggreditur per periodos. Cum autem orthopnoea acutus sit morbus, a dyspnoea discrepat, quae morbus est chronicus, nec tam propere suffocationem minitatur. Orthopnoea distingui debet in primariam, symptomaticam, secundariam, traumaticam. Raro primaria est, quae nascitur a propriis caussis pectus, viasque respirationis vehementissime constringentibus, ut a deglutitis substantiis veneficis; vel a duris et non bene deglutitis corporibus in oesophago, aut in larynge vel aspera arteria haerentibus; a vaporibus sulphureis, vitriolicis; violentis animi perturbationibus: frequentior symptomatica est quae nascitur a multiplicibus vitiis cordis et vasorum; a suffocante catharro; ab affectione hysterica; ab hydrothorace; vomica, empyemate, steatomate, pulmonum; a vermibus; a febribus continuis et intermittentibus, a peripneumonia notha; a scorbuto; etc: secundaria interdum evenit, aut sub partu a nimia jactura sanguinis; aut a retenta materia variolarum; aut metastasi materiei

podagricae: traumatica interdum producitur ab externis violentiis, ut a pectoris vulneribus, ictibus, lapsu, costarum fracturis, etc.

§. 1858. Orthopnoea primaria cognoscitur a subitanea respirandi difficultate propemodum suffocanti cum stertore, unde aegri sedere coguntur, ut evitetur suffocatio imminens. Praeter autem hoc praecipuum symptoma, facies fit livida; pulsus parvus; oculi languentes, et sine naturali splendore. Hisce autem signis, ubi symptomatica est, adduntur primarii morbi symptomata. Idcirco si producatur a cordis vitiis, praeter maximam et subitaneam respirandi difficultatem, adsunt cordis palpitationes, intermissiones pulsuum; et non raro improvisa mors: si ab hysterica affectione, respiratio est frequens et laboriosa cum maximo suffocationis discrimine, et agitatione pectoris, et vocis raucedine, praeter alia hystericae affectionis symptomata: si a polypionia, ab ipsa nimia pinguedine deducitur; et probabile est quod ipsum cor sit adipe circumvolutum; etc. Sic si sit secundaria agnoscitur

a praegressis inflammationibus; a retropulsa podagra, vel rheumatismo, vel exanthematibus et impetiginibus. Tandem de traumatica diversae externae corporis laesiones testantur.

§. 1859. Subitaneum respirationis impedimentum cum suffocationis metu caussa est proxima orthopnoeae. Praecipuae autem praedisponentes caussae sunt nimia nervorum sensibilitas; exercitium quarundam artium; prava pectoris structura. Excitantes sunt vehementia animi pathemata; deglutio fungorum veneficorum, aut veneficarum substantiarum; vapores respirationi nocentes; corpora dura in oesophago, aut in larynge, et trachea haerentia; aversatio, et detestatio irrationalis alicujus rei. Quantum haec possit repugnantia, seu antipathia, satis historia a Sauvages Tom. I. op. cit. pag. 673. exposita demonstrat. = Condiscipulus Zacuti caseum ita aversabatur, ut syncopem ab ejus odore saepe incurreret; a sociis per jocum oblato hoc cibo, statim cum livore faciei, stertore superveniente, cum pulsu parvo,

mortis imaginem repraesentabat; at spuma excreta ex ore more epilepticorum ad vitam revocatus est. = Aliae etiam historiae fere similes referri possent, sed de hoc satis.

§. 1860. Orthopnoea est morbus qui interdum post pauca temporis momenta suffocat. Interdum tamen sperandum est, praesertim ubi subigi possint caussae, et praesens curatio. Idem de orthopnoea symptomatica, secundaria, et traumatica dicendum est. Lethalis enim est, si in caussa sint vitia cordis et vasorum; polypi et polyposae concretiones aut in corde aut in vasis; cor nimia pinguedine obductum; steatomata pulmonum: maxime vero est metuenda, si proveniat a suffocante catarrho, peripneumonia, vomica: minus anceps, si ab affectione hysterica, aut a febribus intermittentibus, aut transitanti animi pathemate. In cadaveribus multae morbosae mutationes, et vitia observatione digna reperiuntur, ut pulmones spuma et sanguine infarti; magna seri vis vel in pericardio collecta, vel in pectoris ca-

vitate diffusa ; polypi, aut concretiones polyposae vel in ventriculis cordis, vel in auriculis , vel in utrisque ; aneurysmata , praesertim aortae ; steatomata , et abscessus pulmonum , qui pleurae saepe adhaerescunt. Quod autem in orthopnoeae peremtis frequentius deprehenditur, et absque dubio mortis caussa est, polypi, et concretiones polyposae sunt vel in corde , vel in vasis. Hoc non per aliquam meam et aliorum observationem affirmo , sed per illas multiplices, et admirandas Morgagni. Hic enim praeter caetera Epist. XV. n.° 6.° adnotavit parvulam concretionem polyposam in ventriculo dextero cordis: Epist. XVI. 2.° polyposam concretionem in utroque cordis ventriculo, sed majorem in dextero, quae per ostia vasorum extendebatur, et in auricula se amplificabat; 4.° in dextro cordis ventriculo polyposam concretionem, et circa hanc grumosum sanguinem ; 6.° dilatatum pericardium cum plus selibra seri liquidi, cor magnum, et in ejus dextro ventriculo polyposam concretionem: Epist. XVII. 8.° cor praegrande,

magnam polyposam concretionem in ventriculo dextro in proximam auriculam extensam, hujusque longas productiones in vicina vasa: Epist. XVIII. 30.° cor maximum venis per ejus faciem reptantibus dilatatis, et quasi varicosis; in ventriculo dextero levem concretionem polyposam: Epist. XX. 11.° in cordis ventriculo dextero non parvam polyposam concretionem, quae proximam auriculam occupabat, et per orificia communicantia venarum sese producebat; 13.° in cordis ventriculo dextero polyposam concretionem; 24.° tres concretiones polyposas in corde, unam in ventriculo sinistro, duas crassiores et firmiores, scilicet alteram dexterum ventriculum, alteram, quae totam hujus auriculam occupabat; 26.° in cordis ventriculis polyposas concretiones, sed in sinistro majorem; 32.° in dextero cordis ventriculo praegrandem polyposam concretionem, alteram in sinistro sed minorem; 53.° in cordis ventriculo dextero cum polyposa concretione sanguinem in grumos coactum: Epist. XXI. in vena cava et pul-

monari arteria concretiones polyposas, minores, majorem in sinistra auricula: Epist. XLV. 16.° cor aeque majus, in dextero autem ventriculo, annexaque auricula teretes polyposas concretiones.

§. 1861. Curatio orthopnoeae primariae, symptomaticae, secundariae, varia est prout variae sunt caussae, et primarii morbi. Si ideo producta fuerit a deglutitis fungis, vel a veneficis substantiis, exhibeantur emetica, et convenientia antidota; si a laryngis spasmodica constrictione, antispasmodica; si a peripneumonia antiphlogistica methodus; si ab hysterica affectione antispasmodica; si a febribus intermittentibus, cortex peruvianus, ejusque praeparata, aut alia antifebrilia; si ab hydrothorace, diuretica; si a retrocessa podagra, haec est ad pedes revocanda; etc. Si autem orthopnoea traumatica sit, quae oriatur aut a vulneribus pectoris; aut ab ingentibus costarum et sterni contusionibus, fracturis; aut a duris et crassioribus corporibus in laryngem, vel asperam arteriam illapsis, unde conveniat vel la-

ryngotomia, vel tracheotomia, ad chirurgiam curatio omnino pertinet.

GENUS NONUM

Apnoea

§. 1862. Apnoea, ἀπνόια, est defectus respirationis, sed non ex toto, quia manere non posset vita. Est igitur tam parva, rara, et tarda respiratio, ut vita deficere videatur. Eodem autem tempore deperditur vox, et pulsus fit insensibilis. Apnoea est vel primaria, vel symptomatica. Illa dicitur a caussis nata quae tracheam comprimunt, et communicationem inter aërem et pulmonem impediunt, aut respirationem detinent, ut est aqua aut aër qui vel ingenti calorico, vel multiplicibus vaporibus respirari non potest. Symptomatica est quae nascitur ab aliis morbis, ut a syncope, lethargo, et in mulieribus ab hysterica affectione. Apnoeae symptomata propter diversas caussas, di-

versosque morbos varia sunt; tamen cum respiratio retineatur, perditur vox; pulsus fit exiguus, inaequalis, tardus; maxima est anxietas; vexat pectoris pondus, et interdum dolor; facies tumida est et livida, ut in laqueo suspensis, aut aqua submersis, observari solet.

§. 1863. Caussa apnoeae proxima est interrupta contractilis pulmonum facultas. Caussae remotae inveniuntur in vitiato aëre, ut dum deficit oxygenium, vel nimium sit caloricum, vel abundet gas acidum carbonicum, vel gas hydrogenium carbonatum, vel gas hydrogenium sulphuratum, vel gas azotum, vel scateat mortiferis exhalationibus, ut sepulcrorum, puteorum, cloacarum, paludum, carbonum; in suspensione e laqueo et aqua submersione. Ubi autem apnoea est symptomatica, ab aliis morbis, ut vidimus habet originem.

§. 1864. Ex brevi apnoeae descriptione patet quam exitialis sit morbus; nám qui ea capiuntur non recuperant facultatem pulmonum contractilem, et in ipsis

extinguitur cordis vasorumque motus. Nihilominus si alacris sagaxque sit curatio; si caussae celeriter removeri, et submitti possint, interdum obtinetur sanatio. Si vero apnoea sit symptomatica, aut secundaria, interdum lethalis extemplo est, ut illa quae manat ab improviso transitu ad pulmonem, et asperam arteriam materiae podagricae; aut ab ingentibus cordis et vasorum vitiis: interdum disjicitur, ut illa quae in mulieribus hystericis contingit.

§. 1865. Curationis intentio est absumptam pulmonum functionem restituere. Quapropter praesens remedium est aëris atmosphaerici introductio, sive insufflatio. Si vero signa sanguineae plenitudinis patescant, celebretur venae sectio, et etiam aperiantur venae jugulares, quo melius cerebrum exoneretur sanguine, ut et collo, temporibus, et retro aures applicentur hirudines. Post vero intromissum aërem atmosphaericum, aut extractum sanguinem, juvant errhina, ut alchali volatile liquidum; fumus tabaci, sulphuris, aut peluria prinnarum sub naribus usta; aut li-

quores stimulantes in ventriculum inditi; aut injectio irritantis clysteris. Tandem ustiones; vesicantia; cucurbitulae; frictiones; super vultum frigidae aspersio. Si haec sint inutilia a quibusdam proponitur electricitas, sed cavendum ne electricitas residuum vitalitatis destruat. Si laqueo suspensi, aut aqua submersi probabiliter extincti non sint, fiant frictiones super universum corpus; aperiantur venae brachii, et colli; applicentur cucurbitulae siccae; indantur acria in nares, aërem in os, tabaci fumus in anum. Strangulatis inungi solet collum oleo et vino calido. Submersi autem aequali et temperato calore foveantur. Quosdam juvit totum involvere corpus cinere, aut excalefacta arena. Si tandem curandi sint qui a vaporibus carbonum, cloacarum, aliarumque mephitium deprehensi sint apnoea, statim exportentur in apertum, frigidumque aërem, et elevato capite aspergantur frigida; in os inducantur stimulantia remedia, in anum acria, sed non stupefacientia, ut tabaci fumus; et pro re nata possunt etiam alia incitantia, revellentia, evacuantia conducere.

Incubus

§. 1866. Incubus est convulsiva affectio quae contingit in somno, et in pectore ponderis, oppressionis, et suffocationis sensum inducit, ad quem summovendum, et situm mutandum inutiles omnes sunt aegri conatus. Multa sunt hujusce morbi nomina. A Graecis dicebatur ephialtes, *ἐφιάλτης*, ab *ἐφύλλομαι*, insilio; aut *πνιγαλίων*, suffocatio, a *πνίγω*, suffoco; aut *πνιγμὸς ἐνύπνιος*, suffocatio quae fit in somno: a Latinis incubus, vel incubo: a Plinio ludibria Fauni: posteriori vero tempore ephialtes feminarum vocabatur incubus, marium succubus. Hic morbus pertinet absque dubio ad convulsivas affectiones; ideoque supervacanea quaestio nosologorum est, an magis ad motus convulsivos, an ad spasmos, an ad vesanias, an ad sopores spectet. Dividi debet in primarium, symptomaticum, secundarium, prout

nascitur vel a quibusdam corporis dispositionibus, et a peculiaribus caussis; vel a diversis morbis, ut a febribus intermittentibus, vermibus, hydrocephalo, vitiis cordis et vasorum, affectione hysterica et hypochondriaca; vel a retrocessione exanthematum, impetiginum, aut alicujus morbosae materiae.

§. 1867. Ut plurimum incubus in somni initio corripit, et ponderis et oppressionis sensum in pectore inducit, a quo dormiens ob impotentiam ad motum et loquelam cum liberari non possit, emittit gemitus et lamenta, donec perterritus cum sudore ad caput, aurium susurro, artuum tremoribus, defatigationis sensu, cordisque palpitatione expergefiat. Tempore accessionis sublata imaginatio dormienti suadet opprimi fure, aut atroci hoste, aut maligno spiritu, qui pectus comprimat et animam intercludat. Cum morbus sit recens, ejus paroxysmi sunt leviores et simplices; sed cum persistat, et redeat, paroxysmi fiunt graviores, aliisque paroxysmis compositi, quin inter istos absolute dormientes exci-

tentur. Generatim unusquisque paroxysmus non extenditur ultra aliquot temporis momenta; sed interdum est longior, et si auctorum historiis fidem habeamus, etiam ad aliquot horas porrigitur. Reditus autem paroxysmi modo evenit intra anni cursum, modo mensis, modo frequentius. Signa incubi aut morbi caussam, aut primarium morbum, a quo ille nascitur ostendunt. Etenim si incubus oriatur a plethora, qui a Sauvages appellatur ephialtes plethorica, non desunt manifesta signa plethorae, et evidentes caussae, quae illam producere solent, ut lautus victus, et defectus alicujus consuetae jacturae sanguinis. Ubi nimia existat plethora, nil mirum, si supino praesertim positu, contingat incubus; siquidem magna sanguinis quantitas fertur ad cerebrum. Si vero incubus ab onere ventriculi producatur, qui a laudato auctore dicitur ephialtes stomachica, cognoscitur a nausea, sordida lingua, gravitate capitis, flatibus, usu ciborum qui non facile digeruntur, praesertim si coena sumantur. Si enim stomachus valde oneretur, et re-

supina positura capiatur somnus, sanguis in encephalo majori copia congeritur. Sic si vermes fuerint caussa incubi, qui dicitur ephialtes verminosa; si hydrocephalus, unde ephialtes hydrocephalica; si febris tertiana, unde ephialtes tertianaria; si affectio hypochondriaca, unde ephialtes hypochondriaca; etc. propria horum morborum signa non deficiunt.

§. 1868. Multae fuerunt, et sunt opiniones circa caussam proximam incubi. Inter vetustatis scriptores alii hanc credebant aliquam esse externam vim, scilicet vel daemonem, vel vetulam incubantem; alii materiem vaporosam spiritibus animalibus incongruam, quae virium sensientium et locomoventium impediret. Arabes autem opinabantur esse vitium in cerebro; et hinc alii etiam asserebant cerebrum aliquo modo affici. Inquit Nicol. Piso de cognosc. et curand. morbis lib. I. Cap. XXII. = In ea affectione cerebrum laedi evidens est: siquidem tum motrices, tum sensibiles functiones vitiantur. Incubo enim detento difficilis comitatur motus,

torpidus in somno sensus, et suffocationis imaginatio. = Alii autem contenderunt hanc caussam in cerebro, et in cerebello reponi. Fernelius arbitrabatur esse pituitam viscosam stagnantem in praecordiis. Alii autumabant directe nervum intercostalem, phrenicum, recurrentem affici. Nostris vero temporibus plerique judicant pendere incubum a pathologica cerebri conditione, unde nascitur idearum confusio, et illa tam perturbata imaginatio, ut cor, pulmones, diaphragma, musculi thoracis constringantur. Revera propensi sunt ad incubum adolescentes, foeminae, homines sensibiles, imbelles, fibra laxa praediti, et ferventi imaginatione evecti. Frequentiores autem excitantes caussae sunt plethora; decubitus supinus; usus ciborum flatuosorum, salsamentorum, carnium fumigatarum; sollicitudines; vigiliae; vita sedentaria; sordida crapula; intemerata continentia, sed coacta; menstruorum, aut haemorrhoidum retentio; onus ventriculi; animi pathemata, praesertim terror, et tristitia.

§. 1869. Saepe incubus sponte evanescit; aut aliqua haemorrhagia, vel restitutione alicujus retenti fluxus, vel accessione alicujus febris resolvitur; aut si amoveatur caussa, ut crapula, praesertim vespertina, plethora, supinus decubitus, non tam mali ominis est. Contra si caussae submoveri non possint; si incubi paroxysmi frequenter recurrant; si post ipsos paroxysmos ingens remaneat debilitas, tremor artuum, palpitationes cordis, sudores, timendum est, ne epilepsia, catalepsis, apoplexia consequatur. Ut autem inter caussas quaedam sunt leves, ut dormire super dorsum, aut positiones capitis et colli minime congruae, sicut observavit, et descripsit Van-Swieten Tom. III. pag. 294; sic aliae sunt gravissimae, ut lympha in capite congesta. Tum enim somni tempore saepe recurrit morbus, et deinde a perturbato et oppresso cerebro apoplexia, aut alia acerba mala consequuntur. Sectione cadaverum illorum, qui incubo mortui sunt, non raro humores crassi in cerebro reperti fuerunt. Sic fere dicendum est de incubo

symptomatico ; nam sanabilis est si nascitur a morbis curabilibus, ut sunt febres intermittentes benignae ; vermes ; affectio hysterica, vel hypochondriaca; insanabilis, si contingat in hydrocephalo interno, aut in vitiis cordis et vasorum. Morgagni Tom. III. de sedibus et caussis morborum n.° 6. hanc historiam commemorandam narrat. = Quidam affectione incubo simili saepe vexatus, itemque difficili respiratione ad quam se levis febris adjunxerat, detracto sanguine convalescere ferme ex toto visus est. Sed recrudescente morbo, interiit, facie colloque liventibus. Thorace recluso, et aqua in eo animadversa, magnitudo cordis occurrit tanta quanta nunquam antea, ob summam praesertim dexteri, annexaeque auriculae dilatationem. Arteria autem magna erat prope cor ad miram angustiam coacta. =

§. 1870. Si ab incubo maximum proficisci potest discrimen, nunquam curatio negligenda est. In primis vero quibusdam cautelis abducendus est morbus, nempe quibusdam vivendi regulis ; super dexte-

rum corporis latus decumbendo; inertem, et sedentariam vitam fugiendo; immediate post coenam lectum non petendo. Necesse autem est, ut dispositi ad incubum, nec se tradant tristitiae; nec se profundis meditationibus et studiis immergant; nec habeant, nec audiant de rebus lacrymabilibus sermonem. Curatio vero accommodanda caussis est. Si igitur caussa sit plethora, pernecessaria est venae sectio, victus parcus, abstinentia a coena; dormientes super dexterum latus se componant, et elevato capite: si onus ventriculi propter nimium sumptum alimentum, juvat emeticum, purgans, victus parcus, et non coenare; deinde si vires, maxime ventriculi marcescant, stomachica, et amara subveniunt. Cum vero incubus indomitus sit, ejusque paroxysmi frequentiores, et graviores, auxilium ferunt itinera, ambulationes, equitationes, rusticationes in aëre salubri. Si autem incubus sit symptomaticus, aut secundarius, curatio respiciat primarium morbum. Ergo si proveniat a vermibus, praecipua remedia sunt emetica,

purgantia, anthelminthica: si a febribus intermittentibus, cortex peruvianus, ejusque praeparata: si ab aliqua convulsiva affectione, antispasmodica: si ab interno hydrocephalo, praesertim diuretica, nec linquenda setacea sunt: etc.

GENUS UNDECIMUM

Rhonchus

§. 1871. Rhonchus, ῥογχος, seu stertor, aut rhenchos, ῥεγχος, a ῥεγχω, sterto, quo usus est Hippocr. Sect. VI. aphorism. 51. et de judication. 52. et alibi, est sonus vel strepitus involuntarius, ingratus, raucus in larynge, et naribus editus, familiaris dormientibus. Saepe rhonchus non est nisi audientibus molestus; sed interdum etiam illis qui stertunt; siquidem in somno hunc obscure sentiunt, unde offendi potest sanitas. Ubi rhonchus constituit morbosam affectionem, aut primarius, aut symptomaticus est. Sunt qui

dubitant an primarius sit, inter quos est Sauvages, qui Tom. I. op. cit. pag. 656. inquit = Num vero stertor sit quandoque symptoma primarium dubito; nisi forte stertor ille qui infantulos quandoque continuo et per multos menses affligit, qui rhonchus Slevogtio nominatur. = Rhonchus vero primarius non solum in infantibus, sed etiam interdum in hominibus ad senectutem deflexis mihi videtur, apud quos in membrana muccosa asperae arteriae, et in illa narium affluens est mucci separatio. Symptomaticus quidem frequentior est, praesertim in asthmate, et apoplexia.

§. 1872. Rhonchus vel clauso, vel aperto ore fit; et dum est morbus distinguitur a quibusdam signis. Homines post somnum quandam patiuntur stupiditatem, nec bene reficiuntur, ut in statu salutis; vox est ingrata, et rauca, et etiam nasalis; fauces arescunt, et veluti obturantur; lingua est saepe arida, et ingrati saporis; injucundus est halitus; frequenter molestat; copiosa ex ore stertentium profunditur saliva, quae interdum indusium,

et lecti lintea madefacit. Interdum pueruli, alioquin sani, nascuntur rhoncho laborantes. Eorum respiratio non est expedita; saepe tussiunt; interrumpitur somni quies; spumam profundunt labiis; dum lac sugunt ad praecavendam suffocationem extemplo mammam linquunt, et deflent; sensim consumuntur, et moriuntur. Puerula rhoncho nata, mea proneptis, descriptis fere perfuncta symptomatis, nono vitae mense mortua est. Dum rhonchus est symptomaticus adnotantur etiam primarii morbi symptomata, ut in pleuritide est stertor cum respiratione difficili, dolore pungenti in latere pectoris, tussi, etc; in asthmate stertor est modo sonus gravis et raucus, modo cum sibilo, et respiratione frequenti; in apoplexia stertor est cum respiratione sublimi, sed rara. Quisque igitur videt, quod rhonchus dum est primaria vel symptomatica morbosa affectio, ab illo est distinguendus, qui in sanis dormientibus contingit.

§. 1873. Nunquam fuit proxima rhonchi caussa recte explanata. Si enim volun-

tarie homines stertant, concipitur quomodo chordae vocales laxentur, et tremule aër uvulam, et velum palatinum concutiat, ut dum gargarizamus vocales chordas laxamus, et facimus, ut expiratus aër intra aquam, aut gargarismatium agitetur; sed dum homines involuntarie stertunt, non ita facile stertoris caussam comprehendimus. Tamen rhonchus aut in sanis contingat dormientibus, aut morbus sit ab inspiratione et expiratione non libera pendere videtur. Illi revera sunt ad stertorem comparati, qui collum breve, vel compressas et obstructas nares habent; et pituitoso aut plethorico temperamento donantur. Caussae vero quae rhoncho occasionem praebent, sunt aër nimis rarefactus, aut nocuis vaporibus repletus; ingens plenitudo sanguinis; in naribus et aspera arteria copiosus, densusque muccus; saliva abunde secreta; tumor glandularum colli; vitium vertebrarum cervicalium. Quod hujusmodi vitium sit inter rhonchi caussas recensendum indubiae observationes confirmant. Joseph Franch Tom. 5. pag.

450. n. 35. haec de Judaeo narrat = Judaeus viginti circiter annorum e longiquo Vilnam a. 1812. petiit unice ut a rhonchis somnum impedientibus liberaretur. Examinatis faucibus, vertebras cervicales intus prominentes, conspeximus. Locus respondens ad nucham excavationem exhibebat, certe vitio rachitico tribuendam = Rhonchus autem symptomaticus non solum ab asthmate, et apoplexia, sed etiam ab aliis producitur morbis, ut a coryza; tumore tonsillarum; orthopnoeae; pleuritidis; peripneumoniae; capitis doloribus; rachitide; etc.

§. 1874. Si caussae sint leves rhonchus submittitur; secus saepe est insuperabilis, praesertim si a vitio conformationis pectoris ortum habeat. In puerulis rhonchus frequens est, qui levior post aliquot menses dissolvitur, aut gravior, ut ille qui nascitur a multis, densisque muccis in larynge et in aspera arteria collectis, et tum persistit, et interficit. Etiam morbi qui stertorem producunt vel leves sunt, ut coryza, aut simplex tonsillarum tumor, et

tum rhonchus, ut ipsi, facile dispellitur; vel graves, ut apoplexia, asthma, capitis dolores, rachitis, pleuritis, peripneumonia, et tum stertor ipsos morbos reddit acerbiores, et periculosiores. Inquit Hippocr. Sect. VI. aphor. 51. = Quibus sanis dolores derepente fiunt in capite, et statim muti fiunt, ac stertunt, in septem diebus pereunt, nisi febris apprehenderit. = Rhonchus in pleuritide est pessimum signum cum sputo nullo, vel difficili, ut inquit Boerhaave §. 901; et a Van-Swieten Tom. III. pag. 61. ita expositum. = Signum enim est pulmonem impleri magis magisque, dum interim nihil in tracheam exit, quod sputo rejectum levare possit pulmonem gravante hac sarcina. =

§. 1875. Nihil de generali rhonchi curatione dicendum est; siquidem haec solum a caussarum cognitione dependet. Ideo si ex. gr. caussa sit plethora, breve etiam sit collum, evidens ad apoplexiam dispositio, consueti sanguinis cursus deficiant, maximum remedium est venae sectio, quae pro necessitate repeti etiam debet. Prae-

terea aperta servetur alvus; conveniens sit diaetae regimen; vinum fugiendum. Si vero caussa sit abundans et spissus muccus in naribus, gutture, aspera arteria, conveniunt suffitus emollientes; gargarismata, levia sudorifera, et resolventia, ut potiones nitratae, oxymel scilliticum, chermes minerale, applicatio vesicantium aut nuchae, aut brachiis. Si rhonchi origo sit aliquod vitium quoad diaeteticum regimen, ut abusus crassi alimenti, hoc submovendum est. In puerulis praecipua remedia sunt levia emetica, eccoprotica, identidem exhibita; aliquis pectoralis syrupus; vesicantia, et sinapismata. Cum autem rhonchus sit symptomaticus, est tam curatio varia, ut primariorum morborum natura dispar est.

GENUS DUODECIMUM

Singultus

§. 1876. Singultus, λύγξ, λυγμός, est convulsio diaphragmatis, ventriculi, oesophagi, faucium, unde elevatur thorax, abdomen, et sono aër omnibus noto exploditur. Qui saepe laborant singultu, dicuntur singultuosi, λυγγώδες; febres quae singultu stipantur, singultuosae, πύρετοὶ λυγγώδεες, ut videre est Coac. praenot. 45. Quoad singultum inquit Van-Swieten Tom. II. §. 659. pag. 265. = Singultus videtur esse convulsio oesophagi ventriculum et diaphragma sursum trahens, dum simul diaphragma subito deorsum convellitur. Illa enim quae observantur foenomena in homine singultiente, hoc docere videntur; et post diuturnum singultum circa cardiam et fauces molestia solet percipi. Convulsivus enim ille motus tam cito fit, ut non adeo exacte determinari possit quaenam partes agant: unde et Sydenhamus in-

igenue fatetur, se sibi ipsi de singultus caussa disquirenti satisfacere non potuisse. = Si igitur in singultu non possunt praefiniri partes, quae maxime commoventur, ratio patet, quia multiplices sint scriptorum sententiae circa singultus sedem. Per plura saecula invaluit Hippocratis opinio, qua credebatur singultus esse motus depravatus ventriculi, qui expellere tentat quidquid ipsi sit molestum. Platerus fuit primus, qui singultum definivit momentaneam diaphragmatis convulsionem, quae per intervalla recurrit. Sennertus vero maxime demirabatur, Platerum depravatae respirationi retulisse singultum, perseveravitque contendere hunc esse facultatis expultricis ventriculi symptoma, qui detrudere nititur quidquid ipsi infestum sit, ut quisque videre potest hujus auctoris op. Tom. III. lib. 3. part. 1. sect. 2. cap. X. pag. 51. Credidit vero Dolaeus primitus affici superius os ventriculi, et postea per consensum agitari diaphragma. Verum quoad partem ventriculi primitus affectam reperitur etiam opi-

nionum varietas. Etenim alii cum Galeno affirmant, esse hujus visceris superius os; alii universum ventriculum. Sennertus sustinet, sedem singultus esse os ventriculi superius, utpote sensu exquisitiori praeditum; et universum ventriculum esse caussarum sedem. Hoffmann vero qui credit, caussam materialem singultus primarii in substantiam agere septi transversi, ita Tom. III. Cap. IV. pag. 122. singultum definivit = Est septi transversi et adnexarum quarumdam partium consensio spasmodico-convulsiva, interrupta, molesta, sub inspiratione facta, et cum sonora aëris per os explosione stipata. = Sed caussa materialis singultus non semper prius in septum transversum, sed interdum prius in fauces, oesophagum, ventriculum agere videtur, et hinc adnexae partes per consensionem moventur.

§. 1877. Singultus est primarius, symptomaticus, secundarius, traumaticus. Primarius dici debet cujus caussae in partes modo expositas operantur; symptomaticus qui oritur a morbis vel acutis vel chro-

nicis ; secundarius qui aliquam metastasim, aut retrocessionem impetiginum, vel exanthematum excipit ; traumaticus, qui ab externis laesionibus producitur. Hoffmann vocat singultum primarium, cum in substantiam septi transversi caussa materialis suam actionem exercet ; symptomaticum cum caussa lateat in ventriculo, cujus vellicatio ad diaphragma propagetur. Verum primarius singultus esse videtur, qui ab aliis morbis non oritur, cujusque caussa materialis vel in ventriculum vel in septum transversum agit. Symptomaticus, ut diximus, ab aliis morbis nascitur, scilicet a febribus ; inflammationibus viscerum ; aphthis oesophagi, et ventriculi ; obstructionibus hepatis ; etc. Sunt vero nonnulli morbi, in quibus singultus est constans symptoma, ut sunt inflammationes diaphragmatis et hepatis ; ileus. Inquit Hippocr. Sect. V. aphor. 18. = Recto intestino inflammato, et utero inflammato, et renibus suppuratis, urinae stillicidium supervenit. Hepate autem inflammato, singultus supervenit = Singultus autem sym-

ptomaticus habet varia nomina, quae a primariis morbis mutuantur, ideoque inflammatorius, gastricus, verminosus, rheumaticus, arthriticus appellatur.

§. 1878. Singultus modo levis est et fugax, modo gravior et persistens, vehementerque plectit pectus, et injucundo sono exploditur aër. In concussione singultus dum elevatur thorax, etiam attollitur abdomen, et respiratio interrumpitur, ideoque maxime incommodus est, quia etiam sermo, somni quies, manducatio intercipitur. Symptomata quae cum singultu observantur, sunt capitis dolor; facies quae fit rubra; commotio pulsuum; nausea; vomitus; et tandem molestus sensus in faucibus, et in ventriculo circa cardiam. Si vero singultus sit vehementissimus, corpus contremiscit; ob continuam concussionem pectus dolet, et aër sono latratui canis simili expellitur. Hisce signis quae praecipua sunt, saepe illa adjunguntur qua singultus caussam indicant. Itaque si caussa sit plenitudo vasorum sanguineorum non desiderantur signa plethorae; si con-

tra sit exinanitio, evidentia sunt debilitatis signa, et ut plurimum ingentes sanguinis jacturae praegrediebatur. Sic si singultus sit symptomaticus non desunt signa primarii morbi, ut inflammatio cerebri, diaphragmatis, ventriculi, hepatis. Singultus secundarius a metastasi materiarum morbosarum, aut cum improviso evanescunt exanthemata et impetigines, distinguitur. Traumaticus cognoscitur ab illatis externis injuriis, ut cerebri, diaphragmatis, ventriculi vulnera sunt.

§. 1879. Irritatio diaphragmatis, ventriculi, connexarumque partium ex qua sub inspiratione producitur earundem partium convulsiva concussio, caussa proxima singultus est. Praedispositio autem ad singultum in aetate infantili, et senili; in debili, et sensibili corporis constitutione, in prava partium ossearum pectoris constitutione invenitur. Caussae vero quae morbum excitant sunt nimia vasorum sanguineorum plenitudo; ingentes jacturae, maxime sanguinis; cibus non perfecte dentibus confectus, magnaque aviditate deglu-

titus, et sine potu, vel nimia quantitate sumptus, unde ventriculus valde distenditur, vel natura acris sit, vel in oesophago retentus; aër, et potio frigida; fletus; tussis; risus; quaedam venena, ut euphorbium, conium maculatum, morsus viperae; quaedam medicamenta, ut vehementia emetica, drastica purgantia, quae praeter modum ventriculum et intestina irritant. Singultus autem symptomaticus saepe excitatur a menstruorum defectu; a graviditate; a vitiata bile; ab aliqua affectione gastrica, cum scilicet ventriculus aciditatibus, impuritatibus, vermibus inquinatur; ab hernia incarcerata; febribus; inflammationibus cerebri, meningum, diaphragmatis, ventriculi, intestinorum, hepatis, pancreatis, renum, vesicae urinariae; ab aphthis oesophagi, et ventriculi, praesertim deciduis, cum lingua, fauces, oesophagus excorietur; a lue venerea; a scorbuto. Observatur singultus secundarius cum contingit aliqua retrocessio, ut illa materiei podagricae vel rheumaticae. Inter frequentiores caussas traumatici singultus sunt

vulnera musculi temporalis , cerebri, diaphragmatis , ventriculi , intestinorum; fractura cranii , costarum quibus adnectitur diaphragma ; depressio cartilaginis ensiformis ; vertebrarum luxatio.

§. 1880. Singultus primarius saepe brevis est ; interdum ita pertinax , ut duret plures dies , menses , annos. Subinde caussae sunt tam leves, ut singultus sit fugax, et vix ut morbus haberi possit ; subinde graves , ut singultus sit tenax , incommodus , anceps. Si singultus facile redeat, timere debemus , ne qua nervorum affectio superveniat, ut epilepsia. Singultus ab inanitione pejor est illo a repletione. Qui excitatur ab aëre frigido, vel a frigida potione , ut plurimum non est gravis ; contra a purgantibus acribus , emeticis praesentis efficaciae , venenis. Singultus est frequens in lactantibus , sed minime timendus ; in senibus periculosus. Si singultui superveniat sternutatio , praesertim si caussa sit repletio , ille resolvitur. Inquit Hippocr. Sect. VI. aphor. 13. = A singultu detento sternutationes supervenientes solvunt

singultum. = Interdum singultus obstinatus discutitur vomitu aut diarrhoea, quod vero nunquam evenit, si ille a prava thoracis conformatione nascatur. Etiam singultus symptomaticus et secundarius modo fugiens, modo indomitus est et flebilis. Non portendit dicrimen in affectione hysterica, et hypochondriaca, qui nasci credebatur a perturbato spirituum animalium motu, et facile anodynis et antispasmodicis compescitur; sic in affectione gastrica, et verminosa, qui ab irritatione nervorum producitur, et purgantibus vincitur, et anthelminthicis. Est contra praeceps in puris vomitibus, ut in Coac. praenot. sic adnot. Hippocr. = In meracis vomitibus singultus malus, mala etiam convulsio = Ita in inflammationibus mali ominis est. In pleuritide inquit Hippocr. de morbis III. XIX. 14. = Quum igitur affuerit simul singultus, simulque cum saliva sanguinis grumos tussiendo rejecerit, septimo die moritur. = Saepe singultus in febribus praenuntiat mortem. Narrat Hippocr. 3. Epidem. aegr. 12. historiam mu-

lieris, quae habitabat in foro mendacium, et quam primum tunc enixam dolorose masculum deprehendit febris. Haec die duodecima inter alia symptomata frequentibus singultibus vexabatur; decima quarta die interiit. Pessimus est singultus, qui venit ab ulceribus diaphragmatis, ventriculi, intestinorum. Est ineluctabilis qui excitatur a gangraena partium internarum et externarum. Timendus admodum est, qui supervenit profusis haemorrhagiis, ventris fluxibus, et rebellibus vomitibus. Ait Hippocr. Sect. V. aphor. 3. = Sanguine multo effuso, convulsio aut singultus superveniens, malum. = Eadem Sect. aphor. 4. = Purgationi immodicae convulsio aut singultus superveniens, malum. = Sect. XII. aphor. 10. = Ab ileo vomitus, aut singultus, aut convulsio, aut delirium, malum. = Periculo plenus est singultus, qui a retropulsione erysipelatis, podagrae, herpetum producitur. Funestus qui in senibus intemperatis exinanitionibus supervenit. Inquit Sydenham, singultum senibus post copiosas evacuationes saepe mortis

esse praenuntium. Exitialis est qui a vulneribus, cerebri, diaphragmatis, ventriculi, intestinorum; a commotione cerebri; fracturis ossium cranii proficiscitur. Dubius est si producatur a laesionibus musculorum temporalium; a fracturis, vel luxationibus costarum, quippe qui imminentem diaphragmatis inflammationem indicat.

§. 1881. Inspectione cadaverum non raro quaedam adnotabilia cernuntur. Hoffmann Tom. III. Cap. IV. pag. 124. loquitur de homine qui per tresdecim dies vehementissimo singultu afflictus, obiit; in cujus cadavere repertae fuerunt in thorace seri acrioris aliquot unciae, extra vasa natantis. Aliquando vasa cerebri et meningum sanguine turgida cernuntur; aliquando ulcera in ventriculo, intestinis, diaphragmate; tumores qui comprimunt nervos sese ad ventriculum ferentes; duritiae scirrhosae in pancreate, et in hepate; aphthae in ventriculo et oesophago; aliquis tumor cysticus inter pleuram et vertebras; tumor ad cardiam; omentum admodum auctum, et scirrhosum, ut stomachus a na-

turali sede amoveatur ; lien tumens crasso sanguine ; maculae nigrae , et vermes in ventriculo.

§. 1882. Non semper singultus, ut vidimus sponte quiescit, sed perseverat, et non parum molestat ; ideoque interest, ut dissipetur. Hoc vulgo fit improvisa formidine, aut alio pathemate, ut ira, et verecundia ; vel inopinata percussione ; vel incitatione doloris in aliqua parte corporis ; vel alicujus cochlearis aceti, vel succi mali medici deglutitione. Non semper vero haec tam pollent, unde aliud remedium conquirendum est. Generatim in curatione singultus placandi sunt convulsivi motus, ideoque adhibenda sunt tam interius quam exterius antispasmodica et anodyna, ut castoreum, succinum, liquor anodynus mineralis, aether sulphuricus, laudanum liquidum, etc; sed in omni casu, non secus ac in aliis morbis curandis, investiganda est ejus origo. Si enim singultus exinanitionem consequatur, et maxima sit debilitas, in hanc tantam virium deficientiam opponere debemus au-

xilia, ut praeter antispasmodica et anodyna, tonica sunt et analeptica, sicut cortex peruvianus, vinum, aqua cinnamomi, nec non apta alimenta, praesertim jura, et lac. Si vero singultus a plenitudine nimia vasorum sanguineorum incitetur, linquenda non est venae sectio, quae sola interdum juvit, ut sapienter exposuit Morgagni. Si singultus, ut saepe evenit in pueris, ab aciditatibus ventriculi inducatur, absorbentia conferunt, praesertim magnesia, aut aliqua praeparatio calcis. Si vero concitetur singultus ab emeticis vel purgantibus drasticis, usurpentur prius oleosa, mucilaginosa, demulcentia, ut oleum amygdalarum dulcium, lac, serum, jura pulli aut vituli; deinde anodyna, et emollientes clysteres. Si caussa sit cachexia, saepe prosunt stomachica, aromatica, martialia, namque nos inter plerosque sumus, qui vim tonicam tribuunt martialibus. Si autem caussa sit praepedita perspiratio, balnea calida, et diaphoretica utilia sunt. Etiam victus secundum caussarum indolem aptandus est. Inter vero externa re-

media, relictis unctionibus ex humana axungia, aliisque absurdis, quae transactis temporibus adhibebantur, maxime salutaria sunt laudanum liquidum Sydenh. quo regio epigastrica ungitur, ut et balsama, et solutiones opii; emplastrum ex theriaca super eandem regionem positum. Si vero singultus sit symptomaticus diversam curationem exposcit. Etenim si sit symptoma alicujus inflammationis, methodus expedit antiphlogistica; si gastricae vel verminosae affectionis, eligenda sunt emetica, purgantia, anthelminthica; si flatuum, carminativa, et linimenta externa ex laudano liquido vel theriaca; si rheumatis acuti, remedia antiphlogistica; si rheumatis chronici, vesicantia, balnea tepida, diaphoretica; si suppressionis menstruorum, vel haemorrhoidum, hi fluxus sunt revocandi; si aphtharum, oleosa, mucilaginosa, maxime oleum amygdalarum dulcium. Inquit Van-Swieten nihil fere melius inveniri, quam omni hora pauculum olei amygdalarum recentis deglutire, quod demulcet blanda vi excoriatum oesopha-

gum. Si vero singultus sit secundarius, qui scilicet post retrocessionem exanthematum, impetiginum, podagrae excruciet, celeriter hujusmodi morbi ad propriam sedem sunt reducendi. Si tandem sit traumaticus, qui vel a vulneribus, vel a fracturis, vel a luxationibus, vel ab aliis violentiis proveniat, ad auxilia chirurgica confugiendum est.

GENUS DECIMUMTERTIUM

Sternutatio

§. 1883. Sternutatio, πταρμὸς, est violentus motus convulsivus, a tali irritatione narium productus, ut prius profunde inspiretur, et haec inspiratio temporis momento maneat, mox vehementi expiratione interrupta, totius corporis concussione et sono, dum expellitur aër et mucedo, quae in naribus invenitur. Hippocr. Sect. VII. aphor. 51. explicat unde fiat sternutatio = Sternutatio fit ex capi-

te, percalescente cerebro, aut vacuo quod est in capite perhumescente. Aër enim qui intus est, foras erumpit. Strepitum vero edit, quia transitus est ipsi per angustum. = Aër qui tanta vi in anfractuosas fossarum nasalium parietes impingitur, necessario producere debet sonum, qui sternutamentum, et nasalis mucedinis expulsionem comitatur. Non est morbus illa sternutatio rara, perfunctoria, et a caussis morbosis non producta; quin ad expellendum inservit quidquid molestat, et membranam pituitariam irritat. Illa vero constituit morbum, quae est nimis frequens, perstans, et adnotabilia affert salutis incommoda. Mira auctores referunt sternutationis exempla, quae per aliquot menses perducebatur, ut Tom. III. Elem. physiolog. Halleri videre est. Gregorii magni temporibus fuit etiam epidemica, et adeo vehemens, ut improviso homines occideret, unde salutandi sternutantes mos, quamvis hunc morem esse antiquiorem multi putant. Morbosa sternutatio est primaria, symptomatica, critica. Primaria na-

scitur a caussis quae directe actionem explicant in nares, easque irritant, ut est illa, quae a violentis ptarmicis seu sternutatoriis commovetur: symptomatica a pluribus morbis produci solet, ut a morbillis, vermibus, coryza etc: critica contingit in variis morbis et saepe salutaris est, ut in variis febribus, in affectione hysterica, in lethargiis, etc. Interdum vero est potius criticae haemorrhagiae effectus. Raro sternutatio epidemica est, et ubi talis esse judicatur, nisi a qualitatibus aëris nasci non potest.

§. 1884. Sternutatio morbosa quamvis inter initia nos fugit, verumtamen a nimia ejus frequentia, et continuitate, a symptomatibus quae adducere solet, paullo post cognoscitur. Commoventur enim humores; concutiuntur nervi; facies saturo rubore tingitur; eveniunt saepe haemorrhagiae; augetur lacrymarum secretio, quae non solum inundant oculos, sed etiam involuntario decidunt per genas; multi humores et mucci a naribus exeunt. Quoniam continua sternutatione majore

quantitate et majore impetu fertur sanguis ad cerebrum, dolores capitis, haemorrhagiae nasales, ruptura vasorum cerebralium, et apoplexia subsequuntur. Propter autem vehementem corporis concussionem non raro ut in violenta tussi, contingunt herniae. Cum vero sternutatio symptomatica sit, modo auget symptomata morbi primarii, ut in pleuritide saevior fit pectoris dolor; modo imminuit, et juvat, ut in difficili et laborioso partu. Haec consideratio ad instituendum praesagium adjuvat.

§. 1885. Caussa sternutationis proxima non est asperae arteriae irritatio, sed narium. Hoc certum est, sed incertum cur haec irritatio respirationis musculos in consensum trahat, quamvis plerique conveniunt, hoc a nervorum conspiratione pendere. Ad sternutationem proni sunt qui immodicam habent membranae olfactoriae sensibilitatem, ita ut quivis stimulus ad eam irritandam sufficiat, sicut lux vividior, venti flamen, frigus aëris, acutus dolor, narium muccus paullo densior. Omnia autem sunt excitantes caussae quae

nervos per internam narium superficiem dispersos lacessunt, ut sunt acria ptarmica. Sternutatio symptomatica, quae nascitur a pluribus morbis ut ab affectione catarrhali, hysterica, hypochondriaca, verminosa, a morbillis, etc; ab iisdem morbis sibi adsciscit nomen; ideoque vocatur sternutatio catarrhalis, hysterica, hypochondriaca, verminosa, etc. Aliis ex istis affectionibus sensibilitatem membranae muccosae narium augent, ut coryza cum est in prima periodo; alii hanc membranam exstimulant, ut contagium morbillorum; alii agunt per conspirationem partium, ut ventriculi, intestinorumque vermes.

§. 1886. Sternutatio continua aut nimis frequens periculosa est, ut cunctae corporis rapidae et vehementes concussiones non sunt sine discrimine. Plura enim sunt mala, quae haec sternutatio inferre potest, ut apoplexiam et mortem, sicut Romae cum epidemice regnavisset; rupturam vasorum; graves haemorrhagias; hernias, aliosque insidiosos morbos. Tamen animadverto, non semper apoplexiam, quae sternu-

tationem sequitur, a sola sternutatione produci; nam saepe sunt aliae caussae ad illam gignendam efficaces, quae sternutationis impulsu promptiorem pariunt effectum. Ad hoc comprobandum referam duas observationes Morgagni. Epist. enim XIV. n.° 27. memorat. = Vir patricius, annos natus circiter quadraginta, praepinguis, Baccho, ut ajebant indulgens, ab aliquo jam tempore spirandi difficultati a cibo, et a scalarum ascensu obnoxius erat. Is crebro et vehementer sternutare solitus; post aliquot tandem sternutationes, magna repente thoracis angustia, et respirandi difficultate se corripi, dicit: idque dicit, sternutat simul, et moritur, ore, ut aliqui retulerunt distorto. = Epist. autem XXVII. n.° 28. aliam historiam his verbis complectitur. = Vir nobilis, qui ab anno undesexagesimo non longe aberat, nigra facie, sed bona corporis habitudine, quamvis ab adolescentia ad id tempus rebus venereis deditus, unde bubonibus, neque id semel, laboraverat, crassis quidem et vulgaribus cibis, sed generoso vino, hujusque spiri-

tu, ut vocant, cupide utebatur. Multum quoque erat in alea: narrabantque collusores, quotidie vespertino tempore sternutatione corripi solitum, ut horae quadrantem aliquando, aut eo amplius sternutaret, idque a biennio, aut triennio. Quo tempore extenuari etiam coepit, nec parum, et interno quodam sensu affici non secus, ut novissimis ajebat mensibus, ac si deficeret. Verum non alio, ut se refocillaret, uti volebat remedio, nisi eodem, quem diximus, vini spiritu. Itaque die quodam sub vesperum domum reversus, cum de eo semel, iterumque bibisset, familiares autem post id domo exiisse, crederent; ibi accidit, ut de improviso, nemine sentiente, moreretur, horaque demum post quinta, gelidum, ut hyems erat, cadaver inveniretur. = Interdum vero sternutatio in alios morbos convertitur non lethales. Inquit Klein Interp. Clinic. pag. 265. = Vidi aliquando sternutationem in hysterica, sanguinea, libidinosa, fertili frequentem, tandem semper in intumescentiam artuum dolorosam, vagam, terminatam. = Sym-

ptomatica autem sternutatio interdum est brevis, ut primarius morbus, qui eam incitat; interdum est molesta et gravis ut in inflammationibus pectoris; interdum est lethalis, ut in apoplexia; interdum salutaris est, quia solvit primarium morbum, ut singultum. Mala est sternutatio in senibus, vertiginosis, epilepticis, herniosis, comatosis, inflammationibus pectoris laborantibus. Inquit Hippocr. praenot. XIII. n.° 10. = κορύζας δὲ καὶ πταρμὺς ἐπὶ πᾶσι τοῖσι περὶ τὸν πλεύμονά, τε καὶ τὰς πλευρὰς, νυσήμασι προγεγονέναι ἢ ἐπιγενέσθαι κακόν. gravedines et sternutationes in omnibus circa pulmonem morbis, et antecessisse, et succedere malum est- = Sed interdum sternutatio utilis est etiam in lethalissimis morbis, ut loc. cit. n.° 11. ipse asseverat Hippocr. = ἀλλ' ἐν τοῖσιν, ἄλλοισι νυσήμασι τοῖσι θανατωδεστατοισιν οἱ πταρμοὶ λυσιτελῦσιν. sed in aliis morbis lethalissimis sternutationes prosunt. = Revera salutaris etiam est in paralysi, ut animadvertunt practici. Scripsit Van-Swieten Tom. III. pag. 381. = imo apparuit

saepe ipsa membra paralytica subsilire inter sternutandum, sicque motus redintegrari initium fit; et merito speratur, repetitis sternutationibus motum in partibus paralyticis magis augendum esse. = Saepe commoda est sternutatio hypochondriacis, hystericis, lethargicis, sed cum stillicidio oculorum et aurium. Interdum in iisdem morbis quibus aliquam opem fert, ob nimiam et frequentem corporis concussionem alia excitat symptomata. Inquit Haller Tom. cit. pag. 202. = Et in hysterico morbo post immensas sternutationes visum vidi amissum, non quidem vitiato oculo, sed convulsiva vi sursum converso, ut iris palpebra tegeretur, alba vero inferior pars scleroticae inutiliter luci opponeretur. = Saepe a sternutatione pertinax superatur singultus. Ait Hippocr. Sect. VI. aphor. 13. = A singultu detento sternutationes supervenientes, solvunt singultum. = Inde nascitur quorundam medicamentorum usus, quae sternutationem promovent, ut ptarmica sunt. Etenim remediis interdum sternutatoriis homines excitantur semiani-

mes, mulieres affectione hysterica oppressae; et foetus in lucem venit dum per debiles nisus tardat partus; et detruditur placenta, ubi detrudi non potest. Idcirco Hippocr. Sect. V. aphor. 49. ait = Ut secundae excidant sternutatorio indito, nares et os apprehendere oportet. =

§. 1887. Si ominosa esse possit sternutatio, amovenda est ejus caussa, et violentia ejus etiam compescenda; secus ipsa perstat donec in narium membranam agit principium stimulans, unde potest aliquem sinistrum effectum edere. Quamobrem si sternutatio nascatur a plethora, ut contingit in temperamentis plethoricis, in illis qui omittunt consuetam sanguinis emissionem; caput sit magnum, et collum breve, et evidens ad apoplexiam dispositio, pernecessaria est sanguinis missio, quae interdum repetenda est, praesertim si sternutatio violentior permaneat: praeterea vapores aquae tepidae, vel decoctionis emollientis vel lactis sunt inspirandi. Nostris temporibus caussa frequens est exhalatio calcis, siquidem non expletur sanitaria

lex, qua vetitum fuit novas habitare casas, aut statim ac instauratae, et inalbatae fuerint. Sternutationes et convulsiones quae veniunt ab hac caussa vinci omnino non possunt, nisi haec ipsa caussa fugiatur. Aevo etiam nostro tabacum salibus corrosivis immixtum sternutationem periculosam producere solet. Anno 1803. Collegium Medicum Petroburgi invenit venale tabacum, quod tantam continebat causticam cinerem, ut ipsum osseum nasi septum exederet. In illis igitur casibus, in quibus adhibenda sunt sternutatoria, caute agendum est, maxime si fortiora, ut sunt semina nigellae, radices hellebori, etc. quae etiam possunt narium membranam exulcerare. In parturientibus interdum sternutatoria juvant, ut ab irritatione nervorum suscitentur feliciter partus conatus; sed non in omnibus dari possunt, quin praemittatur venae sectio. Inquit Van-Swieten Tom. IV. pag. 524. = Si autem facies vultuosa, rubra, oculi turgentes, calor magnus capitis adessent simul in tali parturiente, facile intelligitur, largam venae

sectionem praemittendam esse, anteaquam validi illi sternutationis concussus tuto tentari possunt. Secus enim vasorum in capite ruptura, et lethalis apoplexia metuenda foret. = Symptomatica autem sternutatio interdum curari debet, et varie; interdum nulla instituatur curatio, si ab illa resolvi potest morbus a quo ortum habuit. Occurrit aliquando sternutatio periodica, quae cortice peruviano, et antispasmodicis curanda est. Ubi compescere debemus violentam sternutationis concussionem, prodest opii odor, ipsiusque tinctura si inspiretur, aut aliqua dosis sumatur, sicut Sauvages, aliique practici affirmant. Utiliter etiam lac tepidum naribus attrahitur, ut et decoctiones hordei, malvae, althaeae. Darwin proponit amylum instar tabaci naribus trahendum.

GENUS DECIMUMQUARTUM

Oscitatio

§. 1888. Oscitatio, χάσμη, χασμὸς, a verbo χάσμω hio, est ita longa et lenta inspiratio, ut multus aër in pulmonem penetret, quod fit magno oris hiatu, propter spasmodicam actionem musculorum depressorum maxillae inferioris, ut plurimum cum totius corporis pandiculatione, quam excipit sonora expiratio. Cum oscitatio saepissime contingat non solum sine damno, sed etiam cum levamine, a quibusdam creditur naturalis motus; ab aliis ambigitur, an naturalis sit, an inter convulsivos et morbosos motus sit recensenda. Ego hanc quaestionem libenter linquo, quamvis hiatus oris convulsivus sit; sed dumtaxat innuam, subinde oscitationem nasci a morbosis caussis, subinde ab aliis morbis, ut a febribus, ab affectione hysterica, a partu. Interdum ideo constituit primarium morbum, interdum est aliorum

morborum symptoma. Oscitatio praesefert multam suspirio similitudinem, quod etiam oritur a necessitate productae inspirationis; tamen ab hoc differt. Etenim suspirium est lenta, longa, profunda inspiratio, qua pectus distenditur, quod impletur, multo aëre, et cui succedit expiratio prompta cuidam gemitui conjuncta; sed in oscitatione inferior maxilla diducitur, unde magnus fit oris hiatus, inspiratio major est et longior, quam non sine aliquo sono propter commotum aërem excipit expiratio.

§. 1889. Oscitationem praecedit quaedam lassitudo, et universalis torpor; obtusitas mentis; ignavia; taedium; dispositio ad somnum; respiratio non commoda. Ad haec igitur discutienda opportuna est longa et lenta inspiratio, ut sequatur aliquod levamen. Dum enim contingit oscitatio, vesiculae pulmonares implentur aëre, et expanduntur, ideoque circulatio sanguinis per pulmones celeratur; premuntur viscera abdominalia; lacrymae, et salivae majori copia secernuntur, unde illis ocu-

li , his os profundatur ; in actu oscitationis praepeditur loquela , aliquantum obtunditur auditus, et in auribus quidam rumor, et veluti bombus percipitur ; nam in magna inspiratione multus aër tubam Eustachianam permeat , aëri resistens qui per meatum auditorium fertur ad tympani membranam, quae inde minus suas oscillationes absolvit. Omnibus notum est, quod si quem videamus oscitantem, involuntario oscitamur et ipsi , quia legi symphaticae imitationis obedimus, cujus nullam reddere possumus rationem.

§. 1890. Cum oscitatio minime morbosa sit, vel a necessitate dormiendi ; vel a defatigatione ; vel a sermonibus taedium afferentibus , et quos auscultare cogimur ; vel a sonorum monotonia, praesertim aquarum cadentium et praeterlabentium murmure producitur : sed cum morbosa sit plures habet caussas. Illa proxima videtur esse adeo lentus sanguinis motus per pulmones, ut consuetis viribus inspirationis circulare non possit. Dispositi sunt ad oscedinem homines multa sensibilitate praedi-

ti; illi qui ad nervosos morbos propendent; gravidae propter nimiam sensibilitatem, depravatum appetitum, aviditatem alicujus alimenti, quod ingestum non expedite digeritur; pueri, qui quamvis naturaliter oscitantur, propter inclinationem ad somnum, frequentiorem et perniciorem motum quo sese exercent, nihilominus interdum sunt pallidi et oscitantes ob debilitatem, ventriculi cruditatem, et dispositionem ad vermes. Caussae autem excitantes sunt immodica alimentorum plenitudo, a qua producitur illa oscedo, quae a Sauvages dicitur stomachica; penetrabile frigus; vita sedentaria, et iners; omni mente ad profunda studia attentio; vigiliae noctis. Si oscitatio sit symptomatica excitatur a morbis, quorum etiam signum praecurrens est, ut accessionum febrium intermittentium; affectionis hystericae, et hypochondriacae; animi deliquii; asphyxiae. Dum autem oscitationes sunt inter constituentia morborum symptomata, alia illorum non desunt signa, ut in affectione verminosa ventricu-

li, et intestinorum; in haemorrhagiis intemperate effluentibus; in conamine partus.

§. 1891. Oscitatio producta a caussis morbosis non semper est sine periculo. Erat lethalis, quae epidemicam Romae sternutationem comitabatur. In homine plethorico, et ad apoplexiam composito, si sanguinis missio negligatur, terminari potest apoplexia. In homine infirmo, et admodum sensibili convulsivos morbos lethales saepe portendit. Interdum vero levis est, ut quae advehitur nimia quantitate cibi et potionis, si curetur purgantibus, et deinde, si opus sit stomachicis; et ducatur vita secundum rationis normam. Sic si sit symptomatica, quae modo facile vincitur, ut vermifugis illa a vermibus; modo morbi primarii indicat periculum, ut illa ab effusis haemorrhagiis passivis, aut a laborioso partu; modo alia infert symptomata, ut non raro evenit in affectione hypochondriaca, vel hysterica. Curabam hominem septuagenarium, qui per plures menses quibusdam diei horis, antequam symptomata hypochondriaca appa-

ruissent, et in ipsis hypochondriacis paroxysmis tam frequenter oscitabatur, ut paullo post notabilis lassitudo, et gravitas capitis; et tandem hujus molestus dolor consequutus sit. Sauvages dum loquitur de oscédine hysterica inquit. = Paroxysmum hysteriae fere semper praecedunt oscitationes repetitae. Hoechstetterus et Riedlinus memorant casus puellarum, quibus ob suppressa catamenia oscedinis paroxysmi quotidie per longum tempus data hora repetebant, tanta vehementia ut capite dolerent, aegrotarent, et altera mandibula luxaretur. =

§. 1892. Medela oscitationis non sit empirica, ut est quod scripsit Hippocr. lib. II. Epidem. Sect. III. n.° 69. = *ἰητήριον ξυνεχέων χασμέων μακρόπνου; ἐν τοῖσι ἀπότοισι, καὶ μόγις πίνουσι, βραχύπνους.* Medela assiduarum oscitationum spiratio longa. Non potantibus, et vix, spiratio brevis. = Remedia enim aggredi debent caussas. Si igitur oscitationis caussa sit ingens sanguinis plenitudo, instituendae sunt venae sectiones: si debilitas et excedens ner-

vorum sensibilitas, roborantia, antispasmodica, bona alimenta, modica corporis exercitatio: si exuberantia alimentorum, ut plurimum convenit aliqua purgatio; deinde ad roborandum ventriculum stomachica, et illa statuenda cibi quantitas, quae nutritioni corporis sufficiat: etc. Ita si oscitatio sit symptomatica, curatio morbum primarium respicit. Si itaque sit symptomata affectionis hystericae vel hypochondriacae, convenit saepe cortex peruvianus, anodyna, et antispasmodica: si vermium, purgantia, emetica, anthelminthica: si passivarum haemorrhagiarum, adstringentia, et quae dejectis viribus auxiliantur; si gestationis, modo venae sectio, si scilicet caussa sit plethora; modo antispasmodica, si nervosi insultus urgeant; modo levia purgantia, si evidentia sint signa, et caussae sordium in primis regionibus aggestarum.

GENUS DECIMUMQUINTUM

Tussis

§. 1893. Tussis, *βήξ*, est involuntaria, violenta, sonora expiratio ab aliqua irritatione laryngis, tracheae, bronchiorum producta, vel excretione, vel sine hac. Propter suam originem, et naturam plures divisiones subit; sed in primis dividitur in primariam, symptomaticam, secundariam, consensualem; mox in humidam, et siccam. Primaria est, cum primitus respirationis organa ab aliqua irritatione provocentur; symptomatica a morbis oritur, vel acutis, vel chronicis, qui vel sedem habent in pulmonibus, vel in aliis partibus, visceribusque; secundaria consequitur alios morbos, aut aliquam materiarum morbosarum metastasin; consensualis producitur ab irritatione partium, quae cum respirationis organis consensum habent. Dicitur humida tussis, si vehementi expiratione copiosi humores expectoren-

tur; rursus si sicca. Tam primaria, quam symptomatica tussis habet diversa nomina secundum indolem, et morbos, a quibus promovetur. Quapropter tussis primaria dicitur catarrhalis, rheumatica, convulsiva, si symptomata ejus patefaciunt indolem catarrhalem, rheumaticam, convulsivam: symptomatica sic dicitur hysterica, hypochondriaca, phthisica, stomachalis, arthritica, exanthematica, verminosa, calculosa, etc; prout ab hoc vel illo morbo proveniat.

§. 1894. Tussis catarrahalis aliis speciebus levior, distinguitur a gravitate capitis, frequentibus sternutationibus, oculorum rubore, lacrymatione, fluxu acrium humorum ex naribus, qui nares ipsas, superiusque labium irritant; rubore faciëi; raucedine; horripilationibus; pulsu aliquantisper celere et duro; titillatione faucium; respirationis difficultate; in initio excreatione tenuium salivarum, lympharumque; deinde sputis densis, subluteis, albis. Omnia haec symptomata vespere exasperantur, mane remittuntur. Cum vero excreatio materiarum concoctarum co-

piosior et expeditior fiat, decrescit respirationis negotium, aliaque symptomata. Pueri, maxime autumno et hyeme tussi catarrhali subjiciuntur, si sine cautela aëris vicissitudinibus, et rigori frigoris exponuntur.

§. 1895. Catarrhali gravior est tussis rheumatica, cujus symptomata sunt febris; aliquis musculorum pectoris dolor; quaedam respirandi difficultas; nullusque inter initia excreatus. Circa vesperam haec omnia asperiora fiunt, quae minuuntur mane. Mox eduntur sputa, et horis praesertim matutinis densus et crassus humor expectoratur, dum etiam erumpit sudor. Paullatim copiosius sputo ejicitur humor tenax, subluteus, albus, qui ex profundo pectore manare videtur, ubi sentitur bullitus, unde respiratio nonnihil est laboriosa, quae autem fit liberior, cum ore redduntur materiae, quae cumulantur in pectore, et desistit tussis.

§. 1896. Tussis convulsiva adeo in paroxysmis constringit pectus et pulmones, ut horum dilatationem impediat, et uni-

versum fere corpus convulsionibus agitetur. Qui igitur hac tussi capiuntur, propemodum praefocantur; eorum membra contremiscunt; facies fit tumida et livens; evomitur quidquid continetur ventriculo; naribus et ore saepe sanguis exilit; faeces et urinae sine voluntate ejiciuntur; sensus titillationis ad laryngem molestat, qui ad scrobiculum cordis extenditur. In hac tussi per aliquot temporis momenta pergit expiratio, et in inspiratione dum constrictam glottidem superare debet aër, strepitus sive peculiaris sonus editur. Plerumque haec tussis corripit pueros, interdum adultos. Saepissime epidemica est, et subinde variolarum vel morbillorum epidemias praecurrit. Cum haec convulsiva tussis vehementissima sit, appellatur ferina, illique respondet, cui pertussis nomen fuit ab auctoribus inditum. Quamvis vero pertussis non sit nisi varietas hujusce speciei, nihilominus aliquid de ea seorsim dicere opportunum est.

§. 1897. Invaluit opinio, pertussim anno 1414. aut secundum alios inter ini-

tia seculi XVI. ab Indiis orientalibus in Galliam primitus invectam, deinde variis temporibus per universam Europam fuisse pervagatam. A convulsiva tussi quae jam cognoscebatur, non differt pertussis, nisi per contagiosam indolem, illamque proprietatem in cursu vitae semel corripere. Priusquam pertussis aggrediatur accessio, observabilia sunt quaedam symptomata, ut inquietudo; sensus ponderis et oppressionis in respirationis organis; etiam in trachea sensus pruritus; dolores ad collum, et horrores; vox rauca; sitis. Paullo post adoritur pertussis, quae consistit in violenta et perducta expiratione cum magna constrictione pectoris, et membrorum concussione, quam excipit inspiratio cum strepitu, vel peculiari sono. Postquam cessaverit inspiratio, facile renovatur pertussis accessio, quae non intermittit sine aliquo excreatu mucci pulmonaris, et materiarum quae ventriculo continentur, unde pueri sublevantur. Morbi accessiones per aliquot temporis momenta insistunt, et non habent praefinitam periodum, sed no-

ctu frequentiores sunt, ideoque somnus inquietus est, et interruptus. Quoniam pertussis ferox est , saepenumero sanguis è naribus et ore , interdum ex oculis et auribus egreditur. In initio pertussis nulla est excreatio , sed deinde aliquid mucci pulmonaris albicantis sub paroxysmorum intermissione emittitur. Cum paroxysmus non sit tam ferus , post hunc pueri recreantur , et ad joculos nugasque libenter redeunt ; sed cum sit crudelis et violentissimus , illi defatigantur , et cum ingenti debilitatione , celerique respiratione morantur. Ut plurimum pertussis per aliquot hebdomadas excruciat ; sed aliquando tenax est , et per plures menses indomita perseverat.

§. 1898. Irritatio organorum respirationis, a qua fibrarum et musculorum contractio producitur , qui expirationi famulantur , caussa tussis proxima est. Generatim huic malo opportuniores sunt pueri et senes , et homines maxima sensibilitate donati , et illi qui obnoxii sunt affectionibus catarrhalibus rheumaticis , convulsivis.

Pueri vero a tertio ad decimum vitae annum magis ad tussim convulsivam, potissimum pertussim propendent, minus vero lactantes. Caussae excitantes sunt subitaneum frigus; venti frigidi et humidi; repentinae aëris vicissitudies; improvida refrigeratio pedum; transitus a calore ad frigus; inconsiderata vestium mutatio; quaedam constantes qualitates aëris, ex quibus tusses fiunt epidemicae, modo catarrhales, modo rheumaticae, modo convulsivae. Actione expositarum caussarum insensibilis perspiratio in superficie corporis, et pulmonibus retinetur; et a materia insensibilis perspirationis retenta, organa respirationis irritantur, et vitiatur muccus qui laryngem, tracheam, et bronchia oblinit. Sydenham Sect. V. Cap. V. narrat tussium epidemicarum historiam ann. 1675. cum pleuritide et peripneumonia supervenientibus, ex qua deducitur quam facile hujusmodi tusses ab improvisa aëris mutatione generabantur. Ipse enim inquit = Cum tempestas placida ac tepens, imo vero aestatis simillima, praeter solitum ad postre-

mos usque octobris dies perseveraret, ann. 1675. eam vero mox exciperet alia multum diversa, frigida scilicet atque humida subito ingruens, tusses ubique numerosiores grassabantur, quam alio quovis, quod memini, tempore, nemini fere parcentes, cujuscunque si fuerit sive aetatis, sive temperamenti, integras vero simul familias pervadentes. Neque numero tantum erant spectabiles (cum quaelibet hyems haud paucas nobis generet) sed etiam ob anceps illud periculum, in quod eos, quos affecerant, per accidens conjiciebant. = Quoad autem pertussim, haec absque dubio nascitur a peculiari contagio plexus pulmonares et gastricos corripiente. Non omnes vero ita sentiunt; nam alii autumant, pertussim a ventriculi irritatione oriri, quod alii negant, et asserunt irritationem ventriculi esse secundariam. Verum si animadvertatur quod contagium aggreditur nervum pneumo-gastricum, eodem tempore contingere debet irritatio organorum respirationis et ventriculi, et per hanc rationem secernitur muccus in ventriculo,

qui tussi et vomitu cum illo pulmonum ejicitur. Interdum cum pertussis epidemice regnet, plures sunt pueri, qui omnino immunes remanent, quod evidenter demonstrat, ad hujus mali suscipiendum contagium necessariam esse dispositionem. Sed in dubium revocari non potest, quin clima ad augendam contagii vim maxime influat. Etenim sub frigido climate, quam sub calido hoc contagium ferocius irruit. Tandem cum tusses sint symptomaticae proveniunt a morbis diversi generis, scilicet ab obstructionibus glandularum bronchialium; a vomicis, et hydatidibus pulmonum; ab affectione hysterica, et hypochondriaca; a ventriculi morbis, intestinorum, ut a vermibus; a lue venerea; a scorbuto; in pueris a laboriosa dentitione, et ab aciditatibus ventriculi; a retrocessa scabie, herpetibus, aliisque impetiginibus; ab affectionibus illarum partium, quae cum pectore consensum habent.

§. 1899. Quamquam tussis sit levis nunquam contemnenda est; nam in alios acutos vel chronicos et gravissimos morbos

potest abire, ut sunt angina, peripneumonia, haemoptysis, aliaeque haemorrhagiae, ruptura vasorum cerebralium, apoplexia, vitia praecordiorum, tubercula, phthisis pulmonaris, vomicae, herniae abdominis, et inguinum. Ut vero praevideamus morbi exitum sub oculis habere debemus aegri aetatem, anni tempus, illius speciem, et symptomata. Generatim vernalis tussis mitior est autumnali. In senibus saepe habitualis fit; et ubi compescitur, facile redit. Humida tussis non est, ut sicca, pertinax, quae in juvenibus haemoptysin, et phthisin affert. Si humida tussis sicca fiat, periculosa est; nam interdum pulmones exulcerat, et in phthisin pulmonarem transit; Tussis catarrhalis aliquando levissima est, et brevis; aliquando vero est magis pervicax, sed tandem cum sputis crassis, concoctis, striis sanguineis mixtis, et etiam cum sudore resolvitur. In pueris haec tussis fere nunquam malum portendit omen; sed negligi non debet, ne indomita fiat. Etenim cum talis fiat, quamvis raro sputum san-

guinis consequatur, quia puerorum fibrae molles sunt, et flexiles, sensim exulceratur guttur, et haec exulceratio extenditur, et succedit phthisis, maxime in pueris debilibus, qui ad eam inclinant. Tussis rheumatica non solum catarrhali gravior est, sed si non bene curetur, in pleuritidem, et peripneumoniam convertitur. Tam vero tussis catarrhalis, quam rheumatica periculum afferunt, si sint epidemicae, et gravibus symptomatis stipatae, praesertim acerbo capitis, aurium, gutturis, et pectoris dolore. Tussis convulsiva subinde non est adeo vehemens, citoque vanescit; subinde rebellis, et omnia detrectans remedia, quae per plures menses excruciat, gravibusque componitur symptomatis, ut sunt maxima debilitas et consumptio; aut cum aliis morbis complicatur, unde magis ominosa evadit. Pertussis autem si contingat in pueris unius anni, et ante dentium caninorum eruptionem, saepe lethalis est. In pueris vero majoris aetatis, ubi immota sit, nec remediis cedat, vertitur aut in morbum scrophularem, aut in ra-

chitidem, aut in phthisin. Raro fatalis est in pueris qui duos vitae annos praetergrediuntur, et optima corporis constitutione donantur. Verum si pueri infirmi sint, penitus franguntur vires; et ubi adest rachitis, aliique morbi, esse potest exitialis. Et quamvis sint optimae constitutionis, si diu pertussis perseveret, debiliores fiunt et pallidi; sensim sensimque consumuntur, memoriam perdunt, et epileptici fiunt. Si pertussis sit mitior, postea nullus morbus remanet, et libere pueri respirant, libenterque ad lusus et ineptias revertuntur: sed si gravior, post accessiones molestus in pectore constrictionis sensus, et laesa relinquitur respiratio. Quo magis frequentes sunt paroxysmi, eo magis enervantur vires, et laeduntur functiones. Quoad tandem symptomata, alia timorem, alia spem injiciunt. Ad prima spectant febris, quae interdum accenditur; difficultas respirationis, quae semper adaugetur; dolores pectoris; sitis, aliaque signa, quae propria sunt inflammationis; pertinacia morbi, et efficacioribus auxiliis reluctatio,

unde magis magisque invalidae redduntur vires; consumptio, et pulmonum exulcerationes superveniunt: ad alia, haemorrhagia nasalis ut plurimum cum levamine; respirationis libertas, et facilis excreatio; post accessiones vomitus, qui aliquod levamen, reditum appetitus et somni adducat; eruptio pustularum in labiis; urina concocta; pulsus molles, et regulares. Sectione cadaverum inveniuntur aut quae fuerunt caussae, aut effectus tussis, ut inflammationis vestigia in trachea, bronchiis, pulmonibus; in cellulis bronchiorum magna muccositatis, et materiarum puriformium quantitas; pulmonum adhaesiones pleurae; exulcerationes pulmonum ipsorum; durities glandularum mesenterii; etc. Exitus autem tussis symptomaticae, secundariae, consensualis praenoscitur a primariorum morborum examine. Etenim si producatur a ventriculi saburris, ut facile hae detruduntur, sic submittitur tussis; si a vermibus vel calculis pulmonum interdum superari non potest, interdum utrorumque rejectione expugna-

tur; si a viscerum scirrho ut plurimum est insanabilis; si ab extremo phthisis pulmonaris stadio, remediis major est: si a retropulsa podagra, scabie, herpetibus, aliisque impetiginibus, periculum instat; si ab asthmate, tussis saepe resolvitur; si ab affectione testium veniat sicca tussis, et testes inflammantur, tussis sicca resolvitur. Inquit Hippocr. popularium IV. XXXI. n.° 9. ≓ *βήσσουσι ξηρὰ οἳ τοὺς ὄρχεας, καὶ ἐκ τῶν βηχέων ἐς ὄρχιν λύεται φλεβοτομηθέντα* Tussient siccam tussim, qui testes affectos habent; et ex tussi vena secta ad testem solutio fit. ≓

§. 1900. Ut scite curetur tussis, animadvertenda in primis est quae sit ejus species. Sed antea quam de hac speciali curatione dicamus, aliquid generaliter praemittendum est. Tussis ubi est levis, et parum, et post longa intervalla molestet, saepissime calidis potionibus, leviter diaphoreticis, decubitu, et tenui victu subigitur: sed si gravior, et contingat in temperamentis plethoricis, aut in illis ad haemoptysim dispositis, opportuna est venae

sectio, interdum reiteranda. Post sanguinis missionem conveniunt quae diluunt, perspirationi favent, et humores temperant, ut decoctiones florum malvae, et violarum; radicis althaeae; hordei; emulsiones tepidae seminum melonum, vel amygdalarum dulcium. In omnibus casibus, quaevis scilicet sit tussis species aurea medendi simplicitas nobis cordi sit. Ut autem juvenes se abstineant a nimia profusione sanguinis, ab illorum argumentis decepti, qui ubi etiam levissima sit irritatio non vident nisi inflammationem, mihi liceat referre consilia, quae loc. cit. pag. 49. ita deprompsit Sydenham. = Hac innixus basi, iis qui meam implorant opem hoc modo succurrere conabar. Si tussis nondum febrim, atque alia symptomata, quae ut plurimum se adjungere solere diximus, accersiverat, satis esse arbitrabar, aegrum a carnibus et liquoribus spirituosis quibuscunque arcere, hortabar item ut exercitiis uteretur moderatis, et frueretur aura liberiore, ptisanam pectoralem refrigerantem subinde hauriens. Sufficiebant

nimirum paucula haec et ad tussim perdomandam, et febrim aliaque symptomata, quae illam comitari solebant, praevenienda. Sicut enim abstinentia a carnibus, et liquoribus spirituosis, tum etiam refrigerantium usu ita contemperabatur sanguis, ut impressioni febrili ineptior esset; ita etiam exercitii ope fervida illa sanguinis effluvia, quae, quoties corporis pori a repentino frigore occluderentur, intro acta tussim excitabant, via sibi naturali ac genuina exhalabant opportunius, et cum bonis aegri rebus difflabantur. = Hisce praemissis monitis, veniamus ad species.

§. 1901. Si curanda tussis sit catarrhalis et vehemens, necessaria in primis est venae sectio; potiones tepidae, leviterque diaphoreticae; et ad obsecundandam humoris catarrhalis excreationem aliquis syrupus pectoralis: diaeta sit tenuis, scilicet juscula hordei, vel oryzae; poma cocta, et edulcorata. Cum vero haec tussis diuturna fiat, et somnum auferat, ad illam sedandam illud exhibeatur remedium, quod magis creditur opportunum. Praete-

rea si alvus sit nimis adstricta emollientes clysteres injiciantur. Ab hac parum differt curatio quae fieri debet in pueris. Hi enim maneant in lecto, calide bibant, tenui victu nutriantur, cochleatim aliquem syrupum pectoralem sumant, et vespere illum papaveris, si quod leve expediat narcoticum, et clysteres recipiant. Si tussis sit rheumatica est etiam venae sectio salutaris, quae aliquando repetenda est, dum scilicet evidens est ad inflammationem praesertim pulmonum proclivitas. Eodem tempore dentur potiones tepidae, et aliquantum diaphoreticae, quibus addi solet nitrum. Si alvus nimis comprimatur, immittantur clysteres emollientes. Ad nutriendum juscula sufficiant. Si vero haec tussis non mitigetur, et nimis diutina fiat, expediunt vesicantia; et quo facilius expectoretur, porrigatur aliquis syrupus, ut ille violarum vel althaeae. Denique utilis est lactis usus; et vespertinis horis dandum est aliquod remedium quod tussis molestiam temperet. Verum non semper dari possunt calida, et composita ex opio, ut

ipse loc. cit. animadvertit Sydenham ; ut etiam per fortiora diaphoretica non est per vim provocandus sudor. Etenim ut aptum est cum spontanei sudores prorumpere incipiant, hos levibus diaphoreticis adjuvare , ut sensim caussa morbifica expellatur, sic nocuum praesidiis majoris efficaciae imprudenter exstimulare et incendere. Cum vero tussis sit convulsiva , si aeger sit robustus, si urgeat respirandi difficultas , si pulsus sit plenus , si quis adest febrilis motus , commoda est aliqua sanguinis imminutio. Sed si sanguinis missio generalis dubbia sit, tutius est hirudines admovere. Juvat etiam inter initia aliquod eccoproticum, maxime si claudatur alvus. Praebeantur potiones tepidae, et emollientes , potissimum hordei , oryzae , althaeae. Salutaria etiam sunt balnea generalia tepida, et pediluvia. Cum autem convulsiva tussis hisce praesidiis obnitatur , ad levia emetica confugiendum est , quorum utilitas quotidiano usu confirmatur. Victus sit levis et concoctu expeditus. Tandem applicentur vesicantia ; et adhibeantur anti-

spasmodica, et roborantia, praesertim praeparata ferri. In hac tussis specie, maxime indomitae, omittendus non est lactis asinini usus, si nihil impediat. Hoc enim lac si diu sumatur, certam opem affert. Verum si nihil proficiat, et urgeat consumptionis periculum, praecipienda est mutatio aëris, et rusticatio, quin relinquatur lactis usus, et aliqua corporis exercitatio. Non raro enim hoc modo absolutam pervicacissimae tussis convulsivae sanationem obtinemus. Si vero curanda sit illa, quae dicitur pertussis, plerumque pueros arripiens, varia sunt diligenter observanda. Si pueri sint lactentes, nutrix se abstineat a vino, a cibis aromaticis, et multo sale conditis, et hordei communis decoctiones hauriat. Pueri sumant solum lac; et ipsis detur mane aliquod cochlear ex syrupo cichorei cum rhabarbaro, aut levis mannae dosis. Si vero pueri a mammis fuerint amoti, et valentes, et instet respirationis negotium, et pulsus sit plenus, convenit, consentanea sanguinis missio, quae etiam repetatur, si sanguis tegatur

phlogistica crusta, et symptomata eadem intensitate permaneant. Si vero ambigua sit a majoribus venis sanguinis missio, hirudines applicentur. Praeterea suppeditentur potiones calidae, ut decoctiones hordei, violarum capilli veneris; et identidem aliquod levissimum purgans, ut syrupus florum persicorum. Si vero pertussis reluctetur, uti possumus levibus emeticis, dummodo pueris non sint nimis debiles, sensibilesque. Inter emetica, quae a practicis proponuntur, aptius esse mihi videtur ipecacuanha. Haec vero exhibeatur diebus majoris quietis ad dosim unius grani cum saccharo, aut plurium granorum pro aetate, viribusque pueri. Si prima dosis operetur, haec saepe sufficit; si etiam secunda dosis non habuerit vim, repetatur tertia. Hujusmodi vero levia emetica in variis diebus dari possunt, donec evidentes et utiles observentur effectus. Plures vero libentius tartaro stibiato utuntur, et hoc modo. Contunditur hujus granum cum triginta granis sacchari, et in octo partes tribuitur, quae porriguntur puero vel cum

lacte, vel cum aqua. Si prima dosis non operetur post horae quadrantem, vel dimidium alia dosis detur, et, ut ipecacuanha, aliae doses ministrandae sunt. Hoc vero remedium, licet exigua dosi usurpatum, saepe in pueris nimia agit violentia; ideoque plerique practici merito ipecacuanham praeferunt. Quoniam in longo morbi cursu muccus expuitur, adhiberi potest aliquis pectoralis syrupus, aut lohoch, ut illud de althaea simplex, aut de tussilagine etiam simplex. Sed si pertussis perseveret, antispasmodica, et roborantia conducunt; et ut concilietur noctis quies eligatur aliquod leve et congruum narcoticum. Haec est methodus simplex ratione et experientia confirmata. Ergo supervacaneum est de quibusdam auxiliis olim celebratis et modo omnino obsoletis loqui, ut est moschus arboreus a Baglivi celebratus; sulphur auratum antimonii, a quibusdam magni factum, quod vero in nonnullis casibus maxime utile esse potest, praesertim, ubi materies herpetica in caussa sit. Tandem si tussis sit sym-

ptomatica , secundaria , consensualis, varia esse debet medela. Etenim si tussis producatur a saburris , aciditatibus , vermibus ventriculi et intestinorum, auxilia esse debent emetica , purgantia , absorbentia , anthelminthica , et tandem roborantia : si ab affectione hysterica , lac asininum , modica corporis exercitatio , et narcotica : si a retrocessione podagrae , scabiei , herpetum, et aliarum impetiginum , praeter auxilia quae in hos morbos adhiberi solent , et quae tussim sedant , omnibus viribus curandum est , ut morbi ipsi ad propriam sedem referantur.

GENUS DECIMUMSEXTUM

Mastodynia

§. 1902. Mastodynia est dolor unius, vel utriusque mammae sine febre. Hoc nomen ex duabus graecis vocibus componitur, quae sunt μαστός mamma, et ὀδυνή dolor. Mammae multa conflantur pingue-

dine, nervis, vasis lymphaticis, venosis, arteriosis, quae invicem, et quibusdam radiculis cum ramis epigastricis conveniunt. Si igitur haec consideretur structura, facile intelligitur, quarundam caussarum actione posse mammas irritari, ideoque mastodyniam infrequentem non esse illarum morbum. Tam in maribus quam in foeminis mastodynia contingit, sed in his frequentius. Dolor autem mammarum esse potest plus vel minus spectabilis, continuus, aut per intervalla recurrens. Ut plurimum symptomaticus est, qui nascitur ab aliis morbis, praesertim mammarum ipsarum, ut suppuratio, emphysema, cancer; saepe consensualis, qui scilicet ob consensum ab affectione aliarum partium excitatur, ut ingruente adolescentia evenit in utroque sexu propter sympathiam quae inter partes genitales et mammas intercedit; sic in foeminis gestationis tempore; aliquando primarius est, qui ab aliqua caussa, nullo existente morbo movetur, ut ab animi pathematibus, maxime terrore.

§. 1093. Communia mastodyniae primariae signa sunt dolor, pruritus, aliquis tumor, rubor areolarum, erectio papillarum. Symptomata vero pro diversis caussis varia sunt. Si enim mastodynia concitetur ab improviso terrore, mammae parum tument, sed admodum dolent. Sauvages Tom. II. pag. 134. hanc historiam narrat mulieris. = Mulier ex terrore percellebatur ita ut vehementes in mammis dolores persentiret, irritis pluribus remediis, calor carbonum ardentium cum lenta frictione sublevabat dolorem, qua frictione papillae quid viscidi stillabant; mammae vix turgidae et tumidae erant; dein spirituosis et emplastro basilico mammis admoto dolor evanuit. = Si mastodynia proveniat a plethora, cum scilicet sanguinis majore quantitate et impetu fertur ad ubera, haec dolent, tument, sed non rubent; pulsus est plenus, nec alia desiderantur plethorae signa. Si autem caussae externae sint, ut ictus, aliaeque externae injuriae, ut plurimum mammae dolent, tument, aut signa contusionis comparent.

Etiam ab externis caussis, ut a compressione mammarum , quae fit per thoraces ferreos, aut cingulos, aut ossa balaenae illa producitur mastodynia, quae dicitur phlegmonodes. Etenim mammae tument, dolent, rubent. Dolor etiam est pulsatilis propter majorem impetum, quo per arterias mammarias fertur sanguis; et mammarum distentio, et renixus deprehenditur. Mastodynia symptomatica frequens est illa febris lacteae. Cum enim incipiat secretio lactis, ut plurimum excitatur ephemera febris cum horrore, cujus praecipua symptomata sunt capitis dolor; somnus inquietus; turgor, et tensio mammarum ; tumor, et dolor glandularum subaxillarium; nigredo areolarum; erectio papillarum, ex quibus stillatim exit lac; sudor acidum olens; etc. Saepissime vero vehementissimus dolor est in papillis, dum etiam dolent exiguae glandulae areolarum, et lactis secretio dolorem affert. Non solum autem papillae acerbe dolent, sed etiam saepe finduntur et inflammantur. Aliquando mastodynia pendet ab abundantia lactis. Etenim post partum tanta subinde est

lactis secretio, ut ubera distendantur, doleant, tumeant, nec tolerari possit suctionem infantis; idcirco nisi sponte lac fluat, eo magis congeritur lac, et ex hac majore congestione illa magis distenduntur, dolent, et inflammantur. Si mastodynia veniat ab abscessu, cum inflammatio non resolvitur, dolor est in mammis, tensio, pulsatio; deinde tumor fit mollis, in apice albescit; febris imminuitur, et fluctuatio percipitur. Dolor igitur pulsans est, cum efformetur pus; sed hoc confecto, remittuntur symptomata. Si morbus primarius sit cancer mammarum, in his dolor est lancinans; in initio tumor est durus profundus, post inaequalis, tuberosus, et venae varicosae serpunt. Interdum mammae laborant emphysemate, et in hoc casu illae sunt dolentes, elasticae, aequaliter tensae, albae, et sine glandularum tumore; pulsatione percipitur sonitus quidam; augetur dolor si menstruatio accedat; imminuitur dum haec recedit. Interdum a portentosa mole mammarum producitur mastodynia propter nimiam disten-

sionem. Saepe in adolescentibus duodecim, tresdecim, vel quatuordecim annorum dolores sentiuntur ad mammas, quae tument, et areolae rubrae fiunt; et aliquando, praesertim in foeminis, stillat a papillis subtilis humor, cum incipiat menstruatio. Saepissime autem circa mammas erumpunt maculae luteae, sive cloasmata, quae non raro ad collum, pectus, abdomen, maxime prope partes genitales extenduntur.

§. 1094. Proxima mastodyniae caussa est mammarum irritatio. Dispositio ad hanc affectionem in temperamento, et aetate invenitur. Temperamentum enim plethoricum, aut illud sensibile ad mastodyniam disponunt; ut aetas adolescentiae, in qua non solum in hominibus spermatis separatio, et in foeminis menstruorum secretio contingit, sed etiam animi pathemata maximo fervore aggrediuntur. Caussae excitantes sunt ipsa animi pathemata, quae assidue operantur; nimia sanguinis plenitudo; menstruorum defectus, aut menstruatio difficilis; ingens mammarum moles; externae offensae. Mastodynia sympto-

matica ut vidimus oritur a pluribus morbis, maxime mammarum; consensualis ab affectione aliarum partium, praesertim illarum generationis.

§. 1095. Interdum mastodynia est levissimus, et transitans morbus; interdum est contumax, et in inflammationem mammarum convertitur, quod praesertim a natura caussarum dependet. Si caussa sit levis, ut abundans sanguinis affluxus ad mammas facile pellitur; si vehemens animi pathema, saepe rebellis est; si ab externa laesione, in inflammationem mammarum transire potest. Exitus mastodyniae symptomaticae varius est; sed generatim eundem finem ac morbus primarius habet. Si sit consensualis, interdum est brevis, ut in adolescentibus sub prima spermatis separatione contingit; quamvis interdum tumidae fiunt, nimis dolentes, et etiam inflammantur mammae. In puellis mastodynia periodica frequens est, quae primis menstruationis mensibus recurrit; aut in illis, quae laboriosa menstruatione exercentur.

§. 1906. Si mastodynia suscitetur a nimio sanguine, curatio ab aliqua sanguinis missione incipienda est; deinde convenit purgatio levis, potiones diluentes, fomentationes emollientes, victus tenuis: si ab animi pathematibus, ut a terrore, interdum satis est conciliare animo quietem, et ubera dolentia et turgida laudano liquido illinire, et fomentationes ex decocto florum chamomillae adhibere: si ab externis laesionibus, et phlegmonodes sit, repetantur sanguinis missiones, non omittatur antiphlogistica purgatio, dentur diluentes et refrigerantes potiones, injiciantur clysteres emollientes, fiant etiam emollientes fomentationes; dein abacta inflammatione ad unctiones ex oleo amygdalarum dulcium, aut ex butyro, et tandem ad cataplasmata resolventia veniendum est; pro victu concedantur juscula. Si mastodynia sit symptomatica, cum lac secernitur, et ephemera febris evolvitur, curandum est ne fiat mammarum turgor, vel hic imminuatur; ideo aut arte, aut infantis suctu lac extrahatur, et etiam ipsum lac levibus diureticis, et purganti-

bus removeatur a mammis ; potiones sint diluentes , et remedia super mammas emollientia. Si vero excrucient rhagades , hae vel oleo ovorum, vel unguento seminum frigidorum , vel mucilagine seminum cydoniorum ungantur. Si vero caussa sit affluentia lactis , in primis juvat abstinentia a cibo ; idcirco non dentur nisi jura , aut tenuissima juscula , et eodem tempore aut pueri suctu, aut illo mulieris exhauriantur ubera , et si haec doleant , tepida lintea applicentur ; lac assiduis et diluentibus potionibus reddatur fluxum , ejusque excretio facilis. Sed si periculum inflammationis immineat , aut supervenerit inflammatio , secetur vena , et lochiorum cursus prudenter ciendus est. Si mastodynia sit suppurationis symptoma , admovenda sunt emollientia cataplasmata , quae maturationem tumoris sollicitent ; postea facta incisione emittatur pus, et detersum vulnus ad cicatricem ducatur : si cancri , praemissis edulcorantibus , ut sero depurato lactis , aut lacte asinino ; si tempus sit aestivum , ante habitis balneis tepidis ,

mineralibus acidulis, ad chirurgicam operationem, dummodo haec fieri possit, veniendum est, scilicet dum nulla sit febricula, tumor costis non adhaereat, et dum corporis habitus fuerit ad meliorem conditionem perductus. Si vero Chirurgica operatio fieri non possit, quoniam auxilia etiam levissima damno sunt, studere debemus, ne morbus in pejus ruat; quare continuentur edulcorantia, praesertim serum lactis depuratum; decoctiones radicum graminis, aut foliorum cichorei, taraxaci, aut carnis pulli, vituli, ranarum, testudinum; usurpentur etiam quae symptomata sedant, praesertim lancinantes dolores; et ad continendam integumentorum inflammationem caute remedia saturnina apponantur. Si mastodynia sit effectus emphysematis, uberibus adjiciantur resolventia, ut lintea madida decoctione meliloti, aut florum chamomillae, aut sambuci; et in usum vocentur; quae menstrua arcessunt. Si mastodynia consensualis sit, ut illa in adolescentibus, submovendus est attritus super partes dolentes; fiant balnea

tepida; et ubi dolor, et tensio mammarum augeatur, unctiones, et emplastra emollientia adhibeantur. Etiam in puellis expediunt diluta adianthi capilli veneris, quae plus semel sumi possunt in die; unctiones oleosae, et emplastra emollientia, et fomentationes et balnea; et partibus verendis hirudinum applicatio.

GENUS DECIMUMSEPTIMUM

Cordis dolor

§. 1097. Cordis dolor insolens morbus est, sed aliquando sub observationem cadit. A veteribus appellabatur cardiogmos, καρδιωγμός. Hoc vero nomen duas habet significationes, scilicet dolorem cordis, et ventriculi. Etenim καρδιάω est verbum quod significat cordis dolorem sentio, aut dolorem ventriculi. Verum enim vero καρδιόω, vel καρδιόομαι denotat, dolorem ventriculi sentio. Sunt inter veteres, qui cardiogmum credebant esse cordis motum

ejus palpitationi similem, et ideo ad hanc illum retulerunt. Existimabat Sauvages cardiogmum esse effectum auctae molis cordis et vasorum, aut aneurysmatis, ut apparet a definitione, quam Tom. II. class. VII. pag. 85. ita tradidit = Est gravis pertinaxque molestia in praecordiis cum sensu ponderis, et magnae molis pulsantis a minimo motu increscens; cordis vasorumque vicinorum moli adauctae, aut aneurysmatis tribuenda. = Alibert cordis dolorem vocat cardialgiam. Haec vero vox equivoca est; nam ab antiquissimis temporibus καρδιαλγία exprimit dolorem cordis, sed potius ventriculi dolorem, in primis illum orificii sinistri ventriculi, qui dolor graece dicitur ὀδύνη τῆς καρδίας. Quapropter ut omnis removeatur confusio, illa gravis et molesta sensatio cordis sine febre, appellanda est cordis dolor. Hic autem vel est primarius cum caussae morbosae actionem exercent in cor, et cum dolor non est assiduus, sed corripit ad intervalla, nec ullam habet regularitatem, et ordinem, ita ut extemplo corripiat, deinde

fere cesset, aut omnino vanescat, sed iterum exacerbetur. Symptomaticus frequentior est, quia cor maximum habet consensum cum omnibus corporis partibus. Ideo cordis dolor non est infrequens in affectione hysterica, et hypochondriaca; in arthritide; in asthmate. Etiam in vitiis cordis, et vasorum non raro hunc dolorem aegrotantes patiuntur. Traumaticus oritur ab ictibus, a casibus, aliisque externis violentiis.

§. 1908. Cordis dolor aliquando non est tam sensibilis, sed incommodus; aliquando tam vehemens, ut producat syncopem. Est enim tam acutus, ut videatur cor mucrone transfodi. Ab hoc dolore respiratio redditur difficillima, quae etiam animae interclusionem minitatur. Incommoda ideo est supina positio in lecto, in quo potius sedent, et incurvato trunco qui hoc dolore laborant. Molestat stimulus, qui excitat tussim; saepe palpitat cor ipsum, et haec palpitatio nudis oculis sub sinistra mamma conspicitur; caput dolet; erumpit sudor. Si dolor cordis sit symptomati-

cus, non desunt observanda signa primariorum morborum. Si enim est symptoma aneurysmatis cordis ipsius, frequentiora sunt animi deliquia; pallet facies, sed redit in ipsa color, saepe circumscriptus; manat sudor; constans est pulsus irregularitas. Sic si sit symptoma affectionis hystericae, praecipua hujus symptomata observantur.

§. 1909. Irritatio nervorum qui distribuuntur per substantiam cordis est caussa proxima doloris hujus visceris. Homines maturae aetatis, robusti, plethorici, sensibiles, pathematibus animi obnoxii frequentius hunc dolorem patiuntur. Quaedam enim animi affectiones magnam impressionem faciunt in cor, quia videntur in ipso corde sedere, ut amor, animi excelsitas, misericordia, generositas. Frequentiores vero excitantes caussae sunt etiam alia animi vehementia pathemata, ut sunt terror, timor, iracundia, tristitia, infelix amor; assiduae applicationes curvamine pectoris peractae; nisus in elevandis ponderibus; plethora; venus immodica, impe-

tuosa, et more canum exercita; mastrupatio. Dolor cordis est non raro symptoma nervosarum affectionum, ut hystericae, et hypochondriacae; et saepius vitiorum cordis et vasorum, ut cum cor sit consueto majus, aut flaccidum, ipsi polypi adhaereant, qui in arterias extenduntur, valvulae aortae cartilagineae et osseae, aneurysmata. Tandem caussae frequentiores traumaticae sunt ictus, lapsus, contusiones, vulnera.

§. 1910. Cordis dolor est plus vel minus contumax, et in ejus procedendi modo nulla est regularitas. Cum est nimis frequens, et deinde magis pergat, timendum est ne inflammetur cor, et mox mortifer exitus sequatur. Hujusmodi in inflammationem transitus a signis evidentibus praenosci potest. Pulsus enim est febrilis, augetur universalis calor, majus est respirationis negotium, urget magna sitis. Si haec symptomata ampliora fiant, et hisce alia addantur, de inflammatione cordis non erit dubitandum, quae periculosissima est, ut motus illius irregularis, continua et val-

de molesta et sicca tussis, lipothymiae, urina flammea, pulsus maxime irregularis ostendunt. Cum dolor cordis crebro corripiat, saepe palpitationi adjungitur, a qua vitia illius et vasorum gignuntur. Cum autem cordis dolor est symptoma affectionum nervosarum, non tantum injicit timorem, quamvis post nimis frequentes insultus generari possunt illius vitia, ut pluries in mulieribus hystericis, et in hominibus hypochondriacis observavi. Alea vero plenus est, si a morbis et vasorum nascatur, ut a polypis et ab ingenti cordis ipsius mole, a cohaesione hujus nobilissimi visceris cum diaphragmate, etc. Funereus omnino est, qui a cordis ulcere suscitatur. Brevis, et adnotanda est observatio, quam Epist. XXV. n.° 17. ita refert Morgagni = Praefectus arcis Urbani crebro ad regionem cordis dolore, et hunc consequente syncope corripiebatur. Caute Malpighio, diligenterque curatus, videri poterat convaluisse, cum denique febre acuta prehensus, confectusque est. In corde et polypi, et ulcus reperta sunt. =

§. 1911. Ad cordis dolorem plura esse possunt remedia. Etenim si oriatur a plethora, et a retentis exinanitionibus sanguineis pernecessariae sunt sanguinis missiones generales et locales, et sollicita ab omnibus rebus incitantibus fuga: si ab immodica nervorum sensibilitate, in primis juvant consentaneae corporis exercitationes, rusticatio, itinera, balneorum usus: si ab abusu veneris, et mastrupatione, haec teterrima, et improbissima vitia fugienda sunt, deinde adhibenda quae restaurant vires, praesertim lac: si ab animi pathematibus, haec fugienda, et rationis imperio subjicienda, et evitandum quidquid illa potest commovere. Si cordis dolor sit symptomaticus, diligenter naturam primarii morbi inspicere debemus. Generatim sub dolore cordis, nutriendus est aeger alimentis quae facile concoqui possunt; exigua semper sit corporis exercitatio; caute fugiatur quod eundem dolorem potest iterum suscitare. Aestivo tempore balnea subfrigida interdum conferunt. Asseverat Alibert felici cum successu haec balnea in sequana praescripsisse.

Palpitatio cordis

§. 1912. Palpitatio est cordis motus vehemens, irregularis, molestus, qui manu saepe percipitur, subinde ipse oculis cernitur. In statu sano regularis est cordis actio, ejusque pulsationes inter quintae et sextae costae sinistrae cartilagines sensibiles sunt. In hoc statu contractiones auricularum eodem tempore fiunt, et dilatationem ventriculorum provocant, qui contrahuntur dum auriculae propter novi sanguinis affluxum dilatantur. Sed quia cor est viscus maxime sensile, irritabile, mobile, ejus actio nullo negotio perturbatur. Haec tanta cordis sensibilitas manat a nervis, qui a ganglio cardiaco, ab illo regionis cervicalis, a magno sympathico proveniunt; sed quis est ex istis nervis, ex quo hujusmodi sensibilitas proficiscitur? Cordis autem insita vis seu irritabilitas a fibris muscularibus enascitur, cujus ope

illius motus perseverat, etsi cum nervis auferatur communicatio. Ob hanc nimiam sensibilitatem et irritabilitatem actione morbosarum caussarum motus cordis turbatur, et consequitur hujus palpitatio. Quoniam vero haec palpitatio habet diversam originem, gravitatem, et ordinem, in primariam, symptomaticam, et secundariam; in levem, aut gravem; continuam, intermittentem, recurrentem tribuitur. Sed anteaquam de palpitatione loquamur, animadvertendum est, quod agitatur quaestio, an tremor cordis ad palpitationem pertineat. Quin plures, variasque auctorum opiniones exponamus, mihi videtur tremor esse frequens contractio cordis cui si respondet pulsus, non est nisi frequens sanguinis circulatio; sed si cum tremore deprehendatur pulsus irregularitas, tum tremor ad palpitationem referri potest, in qua pulsus ut plurimum irregularis est.

§. 1913. Dum manifestatur palpitatio cordis, aut paullo ante, respiratio fit celer, et anxia; molestat praecordiorum anxietas; caput, et sensus obnubilantur. Ta-

ctu deprehenditur palpitatio cordis, dum scilicet sinistrae mamillae applicetur manus, et aliquando oculis et auribus; pulsus plerumque irregularis, intermittens, debilis, obscurus, lentus, interdum durus; saepe pulsant carotides; oscillant jugulares; caput dolet; tinniunt aures; ad cordis regionem vexat dolor; debilis evadit vox; depravatur appetitus; somnus horribilibus insomniis interruptus; lingua albo mucco obducta; urina modo decolor, modo colorata et pauca; virium languor. Si palpitatio adaugetur, vehementius pulsant carotides, et in hac majore palpitatione aut alia comparent symptomata, aut quae jam sunt, graviora fiunt, ut aurium tinnitus; cephalalgia; vertigines; somni quies magis horribilibus visis abrupta; animi deliquia sudor potissimum faciei, et pectoris; extremorum algor; dolor aliquando in regione epigastrica, ubi etiam pulsatio est observanda; erumpunt flatus, qui etiam edunt borborygmos; semper augetur respirationis difficultas. Post palpitationis paroxysmum remanet virium deje-

ctio, quae major fit, si illius aggressiones frequentiores evadunt. In cursu podagrae, chlorosis, affectionis hystericae, et hypochondriacae palpitatio cordis symptomatica frequens est, et immiscetur aliis symptomatibus quae primarii morbi propria sunt. Puellae chloroticae, graciles, debiles, laxae, primis amoris stimulis percitae, dyspnoicae, si solito celerius ambulent, aut scalam ascendant, etiam si leviter moveantur, palpitationem patiuntur.

§. 1914. Vehemens cordis ventriculorum systole, quae arteriarum pulsationibus respondeat est caussa palpitationis proxima. Haec rapida systole aut ab actione alicujus stimuli excitatur, aut ab imminutione illorum renixuum, quos superare debet cor, eadem hujus manente contractili vi. Caussae praedisponentes sunt infantiae et adolescentiae aetas; sexus foemineus, quia mulieres saepius palpitatione laborant; temperamentum sanguineum; magna nervorum sensibilitas; hyemale, et vernale tempus. Caussae excitantes sunt plethora, quae cognoscitur a juvenili ae-

tate, retentis consuetis fluxibus sanguinis, pulsibus fortibus, et magnis, facie rubra, dolore capitis, gravitate corporis cum aliqua fiat exercitatio, vertigine si inclinetur corpus, angustia ab assumpto cibo; animi pathemata, praesertim ira, gaudium, terror, amor, moeror; vita iners; abusus veneris, et liquorum spirituosorum; immodicae jacturae sanguinis; haemorrhagiae solitae repressae; venena narcotica, ut conium maculatum, hyoscyamus; ingens corporis debilitas et sensibilitas, quod cognoscitur a temperamento debili, a nervosis morbis, ab animi pathematibus deprimentibus, a pulsu debili, contracto, frequenti, exinanitionibus praegressis, extremitatum frigore; violentae corporis exercitationes, ut vehementes ambulationes, et cursus, cum cor laterali et inferiore facie stet super diaphragma, cujus sequitur motus, proindeque perturbatur circulatio, illudque palpitat. Symptomatica autem palpitatio saepe nascitur ab aneurysmate, et a polypis cordis et aortae, aliisque vitiis; ab hydrothorace; prava pectoris structura, et spinae

dorsi; lue venerea; affectione hysterica, et hypochondriaca; chlorosi; vermibus; sordibus gastricis; scorbuto; spasmo diaphragmatis, maxime ejus processuum sive appendicum, cum sub istarum convulsionibus constringi possit magna arteria, quae inter ipsas descendit; suppressio menstruorum, et haemorrhagiae nasalis, et haemorrhoidalis; retrocessione podagrae, herpetis, scabiei, aliarumque impetiginum; inveteratis ulceribus exsiccatis; dissipatione oedematum, praesertim pedum. Non raro cordis palpitatio proficiscitur a morbosa conditione cerebri, et spinalis medullae, a qua cor et arteriae expedite perturbantur. Spinalis medulla admodum patitur a prava vertebrarum conformatione; intemperanti coitu; mastrupatione; et nimia seminis jactura. Viscera etiam tam pectoris quam abdominis dum aliquo morbo afficiuntur, possunt cordis arteriarumque motus abnormes excitare, ut sunt ingentes pulmonum congestiones, ex quibus deprimitur diaphragma; obstructiones hepatis, lienis, pancreatis; flatus, qui nimis

distendunt ventriculum ; quod diligenter observandum est , ne adesse aneurysmata judicemus , ubi non sunt.

§. 1915. Palpitatio cordis est animo oculisque respicienda. Quamvis enim ab organico vitio non nascatur , in hoc potest converti. Aliquando a levissimis vel fugacibus caussis affertur, ut a nimia quantitate sanguinis vel ab aliquo animi pathemate ; sed ut plurimum caussae graviores sunt , ideoque ejus exitus luctuosus , siquidem in asthma, pectoris hydropem , haemoptysin, phthisin , et improvisam mortem potest commutari. Timenda semper magis est illa palpitatio , quae non solum gignitur a gravissimis caussis , sed etiam saepe saepius aggreditur. Frequentia enim aggressionum ventriculorum cordis et vasorum dilatatio producitur. A praepostera etiam curatione lugubris consequitur ejus finis , ut pluries observavimus. Quaedam hysterica mulier laborabat interdum palpitatione cordis , quae fugax erat ; idque praesertim eveniebat , si in familia aliqua esset perturbatio , aut de rebus molestis et

injucundis loqueretur. Optime a medico, feliciterque anthystericis, et sedantibus curabatur. Verum verno tempore cum rusticaretur, eadem palpitatione deprehensa, consilio alterius accersiti medici praeparata adhibuit martialia, quamvis ab his male affici asseveraret. Posthac frequentior et gravior facta palpitatio, in evidens tandem cordis et vasorum vitium conversa, vitam interemit. Sic symptomatica palpitatio esse potest majoris vel minoris discriminis. Generatim non est tam timenda in affectionibus convulsivis; sed in acutis morbis funereum sistit symptoma, ut in pleuritide, vel peripneumonia. Animadvertendum vero est, quod in acutis morbis est interdum signum proximae criseos; et in adolescentibus plethoricis, et robustis haemorrhagiam nasalem, et juvenibus debilibus, et macilentibus haemoptysin portendit. Palpitatio secundaria esse potest sanabilis ut illa quae venit a retropulsa podagra, vel materia herpetica, vel scabiosa, si prompte adhibeantur remedia, et ad propriam sedem advocentur morbi; aut

lethalis, ut illa quae ab inopina et ingenti metastasi ad pectus producitur. Interdum natura ipsa expellit morbosas retropulsas materias, vel per haemorrhagias, vel per alvi fluxum, vel per sudores, vel per febres, quae clara utilitate excitantur. Seetione cadaverum modo inveniuntur vitia cordis et vasorum; modo nullum adest vitium; modo diversorum morborum vestigia conspiciuntur in pulmonibus, diaphragmate, ventriculo, intestinis, pancreate, hepate, liene; modo latent calculi in ventriculis cordis; modo in auriculis, et ventriculis hujus visceris polypi; modo ingentes obstructiones in visceribus, et in pulmonibus insignis humorum congestio.

§. 1916. Curatio palpitationis cordis sit sollers, et caussarum pedissequa. Quamobrem si ejus origo sit nimia sanguinis quantitas, curanda cito est venae sectionibus, et incipiendum est a venis brachii sinistri, vel sinistri pedis; deinde opportuna est hirudinum applicatio vel cranio, vel parti sinistrae thoracis, vel vasis hae-

morrhoidalibus, praesertim si inter caussas sit haemorrhoidum suppressio. Utilis est etiam admotio cucurbitularum scarificantium, maxime inter scapulas. Praeterea juvat cremor tartari; potiones cum nitro; balnea tepida pedum; corporis et animi quies; victus tenuis. Si vero nascatur ab infirmitate corporis, tota curatio continetur tonicis, et nutriente victu; idcirco convenit infusum corticis peruviani; praeparationes martiales; modicum vinum; aliqua corporis exercitatio ut ambulatio, equitatio, brevia itinera; rusticatio ubi salubris est aër; animi non interrupta quies. Si palpitatio cordis proveniat a nimia sensibilitate interdum ab emissione sanguinis incipienda est curatio, praesertim si temperamenta ad plethoricum accedant; interdum maxime nocua est, ubi scilicet vires maxime languent. Inquit Burserius Vol. VII. instit. Med. §. CCXLIX. pag. 261. = Uno fere omnium ore sanguinis missio ad palpitationem curandam commendari solet, et quidem ea saepe necessaria est palpitatione laborantibus. Verum ubi vires

languent, aut hydropis metus est, aut haemorrhagia, evacuationibusque vasa conciderunt, noxia jure habenda est. = Si dum nimia est sensibilitas, existat plethora, aetas sit juvenilis, corpus satis robustum, supprimantur consueti sanguinis fluxus; si concurrant etiam quaedam pathemata ut terror est; si non desint quaedam symptomata, ut dolor ad regionem cordis, anxia respiratio, durities pulsus, nullo modo venae sectio negligenda est: sed si cum nimia sensibilitate ingens est corporis debilitas, expediunt potius roborantia et cardiaca; praesertim cortex peruvianus, et martialia: si vero cum tanta sensibilitate nec nimius vigor est, nec nimia debilitas, usurpentur quae abnormes cordis motus placant, ut extractum hyoscyami; emulsio ex seminibus hyoscyami nigri, et amygdalis parata cum nitro; vel aliquod granum foliorum digitalis purpureae; vel aqua pruni laurocerasi, vel illa amygdalarum amararum cohobata ad aliquot guttas. Distinguendum vero est cum palpitatio proficiscatur ab irritatione quae

praevaleat aut in arteriarum aut in venarum systemate. In primo casu omnes laudant folia digitalis purpureae, quorum pulvis datur ad exiguam dosim , aut ex illis fit infusum leve; elixir acidum Halleri , scilicet datur hujus scrupulus in libra aquae fontis cum aliquo syrupo; purum alumen, scilicet hujus porrigitur dimidia drachma in libra aquae fontis cum uncia alicujus syrupi. Omnibus vero remediis digitalis purpurea praeferenda mihi videdetur: in altero casu celebratur etiam digitalis purpurea ; acida vegetabilia , praesertim succus citri ; et quae alvum leviter promovent. Si autem palpitatio cordis sit symptoma affectionum convulsivarum, praesertim hystericae et hypochondriacae, juvant antispasmodica , et ubi non sit plethora, liquor anodynus mineralis, tinctura castorei , castoreum ipsum, spiritus C. C. succinatus , etc; et ubi sit aliqua plethora jure a practicis pulvis antispasmodicus ruber Stahlii commendatur : si affectionum gastricarum , et verminosarum , prius conveniunt eccoprotica, et anthel-

minthica, deinde, si ventriculi intestinorum adsit debilitas, roborantia: si obstructionum viscerum abdominalium, in usum veniant deobstruentia, ut sunt aquae minerales salinae; extracta fumariae officinalis, tritici repentis; leontodontis taraxaci; salia media, ut tartras potassae, et sodae, sulphas sodae, et magnesiae. Inquit Jos. Franch nil posse pilulis Saifferti aequiparari, quae ita componuntur. Rec. extracti gentianae unciam semis, fellis taurini drachmas tres, scammonii drachmas duas; misce et divide in pilulas 162. Cap. mane jejuno ventriculo, vel ante prandium quatuor ad octo. Hisce pilulis adjunxit laudatus Franch drachmam foliorum digitalis purpureae; et ad confirmandum quantum haec formula in obstructiones viscerum polleat, historiam felicissimae curationis addit. Si palpitatio cordis secundaria veniat a retropulsis impetiginibus, hae ad cutem sunt revocandae, et humorum vitia corrigenda, ideoque dulcificantia et diaphoretica conferunt, ut decoctiones sarsae parillae; jura carnis vituli, viperarum,

ranarum; balnea: si ab exsiccatione externorum, et inveteratorum ulcerum, haec sunt reproducenda. Quaecumque autem sit palpitationis caussa, evitanda est ciborum repletio, qui leves sint, et facile concoquantur; a meraco vino declinandum est, quod si adhibeatur, multa aqua diluatur; coena sit brevis; levis motus, et placida corporis exercitatio; fugiantur acria studia, et diuturnae lucubrationes, etiam venus, ut et vehementium animi pathematum aggressio.

GENUS DECIMUMNONUM

Animi deliquium

§. 1917. Habetur cor ut circulationis sanguinis centrum, quamvis hujusce circulationis primarium potius sit impulsionis organon. Pulmones enim, si spectetur eorum adnotabilis functio, majore jure hunc titulum mereri videntur. In statu salutis dilatationes et contractiones cordis,

maxime quoad numerum, propter aetatem, temperamentum, statum vel motum vel quietis, aliasque res circumstantes variant. In statu vero morboso non solum diversus est numerus, sed etiam multiplex est horum motuum perturbatio, ad quam producendam multae conveniunt caussae, inter quas est nervorum morbosa conditio. Hujus enim caussa vel cordis motus languent, vel sistunt, vel vehementiores fiunt. Nobis vero agendum modo est de animi deliquio.

§. 1918. Animi deliquium est improvisus defectus virium, pallor, frigus, imminutio et cessatio pulsationum arteriarum. Animi deliquium offert varios gradus, ad quos praefiniendos non conveniunt auctores. Ab antiquis nosologis gradus maximus credebatur syncope, dum a recentioribus creditur asphyxia, quae etiam mors apparens appellatur. Burserius, qui veteres sequutus est, tres animi deliquii gradus admittebat, asphyxiam excludens. Primus dicitur eclysis, ἔκλυσις, scilicet virium exsolutio; alter lipothymia,

ληποθυμία, quae etiam est virium exsolutio, sed gravior; tertius syncope, συγκοπὴ, quae est omnium gravissima, et praeceps virium exsolutio cum defectione pulsus, et sensus motusque privatione. Nulla vero ratio est cur ab animi deliquiis ejiciatur asphyxia, cum nomen ipsum indicat quid ipsa sit, et potius ut major gradus habenda. Nos igitur etiam tres gradus ponimus deliquii, sed cum inter eclysin et lipothymiam levissima sit differentia, in primo gradu lipothymiam, in altero syncopem, in tertio asphyxiam collocabimus. A primo gradu incipiamus.

§. 1919. Ipsa lipothymiae vox, quam verbum λείπω linquo, et nomen θυμὸς animus componunt, animi deliquium ostendit. Lipothymia est brevis, et subitanea virium dejectio, manente pulsu, et cognoscendi facultate. A nonnullis signis prodromis annunciatur, quae sunt gravitas capitis; vertigines; oculorum obscuritas, qui etiam amittunt naturalem splendorem; aurium sonitus; pulsus exiguus; praecordiorum anxietas. Si haec symptomata au-

geantur, et superveniat pallor vultus; sudor frontis, et colli; deficiant vires; tarda sit respiratio; pulsus languescens; lipothymia constituitur. Haec autem est primaria, vel symptomatica, vel secundaria.

§. 1920. Transactis credebatur temporibus caussa lipothymiae proxima esse defectus fluidi nervei, quod incitat et movet cor. Quin vero cogitemus quae sit motuum cordis caussa, illa lipothymiae est languidus hujusce visceris, et sanguinis motus. Infirmae, molles, sensibiliores mulieres, aliis obnoxiae nervosis affectibus sunt magis ad lipothymiam declives. Caussae vero quae haec excitant, sunt odores acuti, molesti, insuaves; missiones sanguinis praeter modum abundantes; plethora tam vera, quam apparens; impensae detractiones; animus ab aliquo objecto aversus; improvisum, vehemens, et molestum pathema; objectum nauseosum, horribile. Lipothymia symptomatica nascitur saepe ab affectione hysterica et hypochondriaca; gastrica, et verminosa; a vitiis cordis, et vasorum; ab hydrope pericar-

dii. Secundaria ut plurimum supervenit exanthematum, et impetiginum retrocessioni.

§. 1921. Caussae et symptomata morbi momentum renuntiant. Sed caussa non semper manifesta est, et lipothymia frequens. Hoc in casu in mentem veniat, quod scripsit Hippocr. Sect. II. aphor. 41. = Qui saepe et vehementer absque manifesta caussa animo linquuntur, ex improviso moriuntur. = Conjicere enim possumus aliquod cordis, vel vasorum vitium abscondi, unde sanguinis cursus praepeditur. Etiam periculosa est lipothymia, si nimios fluxus et exinanitiones consequatur, ut ipse inquit Hippocr. Sect. V. aphor. 56. = Si fluxui muliebri convulsio et animi deliquium superveniat malum. = Pessima vero est quae contingit cum secessu atrabilari nigro; nihilominus non est lethalis, si in visceribus nulla sit laesio. Admodum etiam timere debemus, si dum redit lipothymia, symptomata fiant graviora, et illa ad gradum syncopes accedat. Ut sperandum est, si lipothymia sit brevis, ejusque sint levia symptomata, nem-

pe cito redeat in facie naturalis color; in toto corpore calor; pulsus qualis erat; sic trepidandum, si pulsus remaneat exiguus; facies livida; extrema frigida. Lipothymia symptomatica, quae affectionem hystericam, hypochondriacam comitatur periculosa non est, contra quae a febribus continuis, et intermittentibus malignis; ab exanthematibus etiam malignis; a vitiis cordis et vasorum; ut et illa secundaria ab exanthematum et impetiginum retrocessione producitur.

§. 1922. Curatio lipothymiae alia est dum ea corripit, alia post ejus paroxysmum. Etenim in ejus aggressione motus cordis et sanguinis incitandus est; post hanc vero sedulo depellantur morbi caussae, et instituendum vitae regimen. Confestim igitur frigida, aut frigida cum aceto aspergatur facies, ut venarum contractione, sanguinis circulus motusque cordis sollicitetur; et ad excitandos nervos, irritabilitatemque cordis admoveantur naribus acetum et volatilia; et etiam aliquantulum vini generosi, vel aquae cin-

namomi dari potest. Deinde, extra scilicet paroxysmum, exhibeantur illa remedia, aut adhibeatur illa methodus, quae abigere potest caussas. Item si lipothymia sit symptomatica, vel secundaria varia esse possunt auxilia, secundum naturam primarii morbi, ut in affectione hysterica et hypochondriaca antispasmodica; purgantia, et anthelminthica in affectionibus gastricis, et verminosis; revellentia in illis cerebri; etc. Sed descendamus ad syncopem.

§. 1923. Syncope est vox quae provenit a verbo συγκόπτω, concido, praecipitem, virium lapsum significans. Idcirco definitur syncope subita vitae per aliquod tempus suspensio. Sub hac enim aut valde imminuitur, aut consistit motus cordis, unde subito pallor; totius corporis frigus; sudor frigidus, qui dicitur syncopticus; privatio sensus, et motus observantur. Ergo syncope est animi deliquium lipothymia gravius et periculosius. Quamvis vero syncope sit praeceps virium lapsus, tamen non semper extemplo corripit, sed sensim, et ideo aliquando etiam in synco-

pe non desunt signa prodroma, ut languor; laxitas musculorum; capitis gravitas; praecordiorum anxietas; vertigines; sonus aurium; caligo ante oculos; oscitationes; nausea, et vomitus; tremor; postea syncope. Cum vero protinus corripiat, desunt prodroma, continuoque comparent signa illius propria, ut rapidus virium lapsus; pulsus minimus, aut nullus; respiratio obscura; pallor; livor faciei; totius corporis frigus; sudor frigidus, maxime circa collum, et pectus; involuntaria dejectio; nullus oris motus; oculi semiaperti, excavati; aeger nec videt, nec audit, nec loquitur; tempora collabuntur; articulationes flexibiles; interdum membra inaequaliter a spasmis distenduntur. Verum post aliquod tempus quaedam vitae signa recluduntur, nempe arteriae iterum languide pulsant; calor redit; oculi vident; aures audiunt; vultus naturalem colorem adipiscitur. Subinde post syncopem sequitur vomitus, diarrhoea, sensus debilitatis, palpitatio cordis.

§. 1924. Caussa proxima syncopes est defectus motus cordis, unde non amplius percipitur pulsus, ad eam parati sunt debiles; sensibiles; extenuati vel a morbis, vel a jejuniis; plethorici, in quibus sanguis magno impetu fertur ad cor. Quae primariam sincopem excitant sunt plethora, animi perturbationes, antipathiae, venena, putridae exhalationes, odores, voluptates. Creduntur a practicis esse syncopes voluptuosae. Hae enim contingunt in mulieribus sensibilioribus, quae venereo complexu, propter magnam quam experiuntur voluptatem, in syncopem delabuntur. Symptomatica syncope producitur a pluribus morbis, a quibus etiam recipit nomen, ut syncope dicitur febrilis, si proficiscatur a febribus sive continuis sive intermittentibus; hysterica ab affectione hysterica; scorbutica, a scorbuto; arthritica a podagra; aneurysmatica a dilatatione cordis et vasorum; etc. Si vero syncope sit secundaria vel oritur a retrocessione exanthematum, aut impetiginum, ut variolarum, morbillorum, herpetum, scabiei;

vel ab aliqua metastasi, ut si exsiccentur inveterata ulcera, fonticuli, fistulae; etc. Cognoscuntur hujusmodi syncopes symptomaticae, aut secundariae a signis primariorum morborum. Si dolores vehementes sedeant in partibus sensibilioribus, ut intestina sunt, non raro excitantur syncopes. Hae frequentes sunt in acutis febribus tam in initio, quam in earum vigore, ut in paroxysmo febrium perniciosarum. In affectione hysterica, et hypochondriaca tanta est nervorum sensibilitas, ut interdum a caussis etiam levissimis, ut ab animi perturbatione, ab odore, a repentino rumore suscitetur syncope. In cordis aneurysmate est oppressio pectoris; palpitationes illius; pulsus irregularis; sensus ponderis in ipsius cordis regione; syncope, interdum non infrequens. In concretionibus cordis polyposis est in ipsa cordis regione oppressio; multa est anxietas; pulsus inaequales; palpitationes continuae, quae saepe sunt potius succussiones; syncope. In apostematibus viscerum non solum contingunt syncopes, cum rumpuntur, sed etiam cum

latent in ipsis visceribus. Frequentes etiam sunt syncopes in scorbuto, qui ad ultimam pervenerit periodum. In vetusta podagra etiam non rarae syncopes sunt.

§. 1925. In syncope primaria occurrunt saepe signa, quae indicant morbi caussam. Etenim si caussa sit tanta copia sanguinis ut quasi cor suffocet, nimia est pulsuum varietas, qui modo sunt depressi, modo obscuri, modo frequentes, modo rari, modo regulares, modo irregulares; ante syncopem faciei color est rubro-lividus; et ubi sanguinis missio instituatur, pulsus redit regularitas, et color naturalis faciei, et aeger melius se habet. Si caussa sint vermes, non horum signa deficiunt. Sic dicendum est, si syncope producatur a venenis, ab animi pathematibus, ab intuitu alicujus rei horribilis, vel execrabilis; etc. Non solum autem quaedam caussae cognoscuntur ab effectibus, qui eas detegunt, sed etiam ab ipsa earum praesentia, ut sunt mures, serpentes, cadavera, sepulcra, praesertim si ab his mephitici vapores diffunduntur.

§. 1926. Caussae, et symptomata faciunt ut varium sit syncopes discrimen. Est alea plena quae ortum habet a nimia corporis debilitate; a diuturnis, et asperis jejuniis; a vehementibus et improvisis animi pathematibus; a venenis; ab exhalationibus sepulcrorum, puteorum, fodinarum: non vero est tam gravis quae provenit ab aliqua sanguinis jactura; vel a visione alicujus rei molestae, et injucundae. Ita syncopes symptomaticae aut graviores, aut mitiores sunt. Spectant ad graviores, et etiam lethales illae febrium perniciosarum; quae contingunt inter pleuritidis initia; dum interni abscessus rumpuntur; ubi extant cordis, et vasorum vitia; in alicujus partis sphacelo; in extrema scorbuti periodo. Mitiores vero syncopes sunt illae affectionis hystericae, vel hypochondriacae; vel a nimia repletione ventriculi; vel a vermibus, praesertim a lumbricis. Symptomata autem alia sunt boni ominis, ut celer reditus pulsuum, et caloris, et naturalis coloris in facie, et oculorum splendoris; alia sinistri, ut copiosus et frigi-

dus sudor, facies livida et viridis, tremores, et convulsiones supervenientes. Semper autem malum est, si homo non facile restituitur a syncope, et gravia hujus permaneant symptomata. Hanc ob rationem inquit Riverius Prax. Med. lib. VIII. Cap. I. pag. 130. = Syncope a qua homo non restituitur post irrorationem faciei cum aqua rosacea, post vini exhibitionem, et sternutatoria naribus immissa, lethalis. Cum quis a syncope suscitatur, non statim salus promittenda est; si enim pulsus non restituitur, et color vividus non redit, aegerque frigidus semper manet, in syncocopem cito relabitur, ex qua periculum impendet. =

§. 1927. Ut plurimum in paroxysmo syncopes vitales vires excitari primitus debent. Hac igitur deprehensus homo, ponatur in aëre puro et subfrigido; ad horizontem jaceat, sed elevato aliquantisper capite; frigida cum aceto aspergatur facies; naribus admoveantur volatilia; aliquid vini, vel aliquot guttae aetheris sulphurici in aqua melissae, aut alia aqua

stillatitia porrigantur. Si vero gravissima sit syncope, expediunt frictiones, sinapismata, clysteres irritantes, electricitas. Interdum in paroxysmo convenit venae sectio, cum scilicet caussa sit nimia copia sanguinis, et de hac omnia testentur symptomata. Item extra paroxysmum ut plurimum utilia sunt levia stimulantia, tonica, et quae cor et sanguinis circulationem incitant; sed interdum alia conferunt remedia variis caussis congruentia. Quamobrem si caussa sit plethora, imminuenda est sanguinis quantitas; revocandae sunt suppressae sanguinis exinanitiones; sedanda est voracitas: si ingens virium debilitas, hae sunt resarciendae jusculis, ovorum vitellis, gelatinis aromaticis, vino, decoctione corticis peruviani, stomachicis, chalybeatis. Sic dicendum est de syncope symptomatica et secundaria. Si enim veniat a febribus perniciosis, praecipuum et praesentissimum remedium est cortex peruvianus, aut ejus praeparata: si ab inflammationibus, sanguinis missiones, et reliqua antiphlogistica: si ab affectione hy-

sterica, vel hypochondriaca, antispasmodica, ut liquor anodynus mineralis Hoff; castoreum, ejusque tinctura; volatilia naribus applicita, ut spiritus salis ammoniaci: si ab affectione gastrica, vel verminosa, purgantia, emetica, anthelminthica, stomachica: si a retrocessione axanthematum, vel impetiginum, diaphoretica, vesicantia, frictiones, ut hi morbi revocentur ad cutem, et victus tenuis sit. Sed hactenus de syncope.

§. 1928. Vocem asphyxiae componunt particula negativa α, et σφύξις pulsus. Asphyxia ergo est privatio pulsus et respirationis, manente incitabilitate vitaeque potentia. Perditur in asphyxia sensuum et motuum usus, secretiones et excretiones desistunt; exprimitur mortis imago. Hujusmodi status plus vel minus perstat, et dum desinit, reteguntur signa vitae, scilicet emittuntur flatus; iterum manifestantur debiles, et irregulares pulsationes, et tremulus motus cordis, et respiratio; restituuntur sensus, universalis calor, et vultus color, omnesque facultates. Interdum dum cessat defe-

ctio vitae, accedit vomitus, alvus solvitur, cutis madet viscoso sudore, membra sunt veluti gravi defatigatione fracta. In recens natis asphyxia frequens est. In his facies modo est rubra, livida, turgida; modo pallida; modo caerulea; cutis est frigida, et laxa; nullus est motus cordis, arteriarum, pulmonum, ita ut mortui videantur.

§. 1929. Asphyxia est primaria, symptomatica, secundaria, traumatica, et interdum simulata. Sunt enim qui ob patrata facinora, ut sese a supplicio subtrahant, sumunt mortuorum speciem. Quapropter vinculis brachia ligant; respirationem per aliquod tempus coercent; aliquam potionem narcoticam hauriunt; sese in motibus vitalibus retinendis exercent; vehemens aliquod animi pathema in se excitant; aut alios modos adhibent. Quo autem facilius propositum finem assequantur, aliquem amicum, vel servum concordem reddunt, ut asseverant scriptores. Inquit Sauvages Tom. I. pag. 818. = Divus augustinus vidit monachum qui pro lubitu

omnem sibi sensum, et motum etiam naturalem adimebat. Illustr. Cheynaeus vidit chiliarcham Townsheud, qui pro lubitu se vere asphyctum, et mortuo simillimum, medicis attente examinantibus praebebat. = Verum ad detegendam fraudem memoranda sunt mortis signa, nempe omnino sanguinis circulatio cessat, ut, si secentur sanguinea vasa, non exeat cruor; etiam desistit respiratio; calor animalis penitus extinctus; membra rigent; naturalis nitor corneae deficit; inferior maxilla demittitur; si elevetur truncus, pendulum est caput; fibrae musculorum non contrahuntur; perditur prorsus sensibilitas; redditur teter odor; comparent maculae lividae, et caetera putredinis signa, quae vere de morte testantur.

§. 1930. Caussa proxima asphyxiae est defectio respirationis, et circulationis sanguinis. Ad hanc inclinant homines debiles, sensibiles, quasdam artes exercentes, per quas nocuis effluviis exponuntur. Caussae quae excitant asphyxiam ut plurimum externae sunt, ut strangulatio; ciborum de-

fectus; corpora faucibus haerentia, vel in tracheam delapsa; compressio viarum spiritalium; mephitis; fulmen; frigus; submersio; fumi metallici; exhalationes carbonum; commotio cerebri; clausura oris, et narium. Aliquando vero caussae internae sunt, ut nimia quantitas sanguinis, aut hujus immodica imminutio; animi pathemata, ut timor, tristitia, terror, gaudium, commiseratio, zelotypia. Symptomatica asphyxia saepe producitur a profusis haemorrhagiis; saburris gastricis, verminosis, flatibus; affectione hysterica; vitiis cordis et vasorum, ut sunt aneurysmata, polypi, volumen et capacitas cordis vel aucta vel imminuta; etc. Secundaria vero interdum evenit post internorum abscessuum, praesertim vomicae pulmonaris rupturam. Traumatica non raro inducitur a vehementibus ictibus, concussionibus, lapsubus, nisibus, commotione, et vulneribus capitis, thoracis constrictione, aliisque illatis violentiis. In recens natis frequentiores caussae sunt funiculus umbilicalis, qui collum stringit; compressio

capitis, quae fit vel a violentia partus, vel ab actione instrumentorum, vel ab aliis caussis; muccus densus faucibus haerens; vitia cordis, et arteriarum; vis deficiens cordis.

§. 1931. Asphyxiae symptomata maximum terrorem incutiunt, et etiam mortem afferunt. Sunt vero qui mortui videntur, sed tales non sunt. Non ideo asphycti festinanter sepeliendi sunt, sed cum corpora putrescere, et foetere incipiant, et ignem pedibus admotum, non sentiant. Si caussae non sint tam graves, vinci potest morbus, ut sunt praeparca alimenta; sanguinis per venae sectiones exinanitio; haemorrhagia; seminis jactura cum maxima voluptate; profusae alvi dejectiones; in ascite extractio non interrupta et absoluta aquarum: contra si caussae sint gravissimae, ut fulmen, submersio, suspendium, summum frigus, mephites. Cognoscitur a signis cum asphyxia vanescat; nam aliquando immersi, congelati, siderati, foricarii reviviscunt: sic a signis vel mors, vel proxima mors cognoscitur. Certiores,

ut diximus, de morte erimus, si aperta vena non exiliat sanguis; si nequicquam naribus applicetur ammoniaca; si nullus obtineatur motus electricitate galvanica; si incipiens putredo evidens sit. Inter caussas asphyxiae gravissimas mephitis est. Mephitis dicitur quivis locus ubi adest invisibilis et lethalis vapor, qui nares non offendit, sed aliquot minutis secundis absque clamore enecat animalia, ut canes in specu apud Neapolim, si in hoc retineantur. Sic candelae accensae ab hoc vapore sine fumo, et sine crepitu protinus extinguuntur. Qui autem summo frigori exponuntur, et per nives faciunt iter, prehenduntur intensa fame, post desiderio dormiendi, cui si indulgeant, moriuntur; sed alii sphacelo partium, ut digitorum pedum et manuum, arripiuntur; alii in asphyxiam cadunt. Qui aqua immerguntur, orbantur pulsu, respiratione, calore, sensu, motu; inflatur caput; facies fit tumida, livida; oculi prominent; saepe linguae augetur volumen, quae non raro extra os pendula observatur; in ore aggeritur cruentus muc-

cus ; prominet pectus , et abdomen. In universum creditur submersorum mors non ab aqua deglutita , sed ab impedito accessu aëris , in pulmones produci , cum non absorbeatur oxygenium , nec haematosis , nec caloris animalis evolutio perficiatur. Aliquando submersi reviviscunt ; sed ex tempore submersionis parum quoad praesagium dicere possumus. Etenim sunt inter submersos qui cito pereunt , dum alii etiam per plures horas submersioni resistunt , ut a relatis auctorum historiis habemus. Aliquando etiam qui laqueo suspensi sunt , nisi qua simul adsit luxata vertebra , ad vitam redeunt. In asphyxia a suspendio producta abolentur facultates intellectus ; oculi prominent ; livescit facies lingua abscedit ore ; tumescit collum ; contingunt involuntariae dejectiones ; ut praeter voluntatem urina redditur , et sperma; maculae caeruleae , et rubrae apparent in scroto. Quamvis vero laqueo suspensi ob respirationem interceptam ut plurimum mori videantur , tamen ab hac suspensione aliud etiam mortis genus deferri potest.

Hanc ob rationem Joseph Franch prax. med. Vol. VIII. part sec. §. CII. pag. 553. n.° 4. sequentem addit notam. = Expertissimi viri Fleischmann et Hinze contendunt laqueo strangulatos homines perire 1.° per suffocationem, 2.° per apoplexiam sanguineam, 3.° per suffocationem et apoplexiam simul, et 4.° per paralysin cerebri, pulmonum, et cordis, asseruntque varium mortis genus pendere ab applicatione funis; quatenus illa locum obtinet aut supra, aut infra laryngem, aut eo in loco, ubi nervus vagus facillime comprimi potest. = Homines qui exponuntur vaporibus fodinarum carbonum fossilium, et illis accensi carbonis, frequenter in asphyxiam labuntur. Hi jacent more apoplecticorum, sed sine signis paralyticis; facies rubet, livet; stertorosa est respiratio; sphincteres, resolvuntur; saepe non deest vomitus; pulsus maximam varietatem offert, siquidem aut est magnus et lentus, aut frequens, aut exiguus. Hujusmodi vapores non solum nocui sunt propter evolutum gas acidum carbonicum, quod re-

spirationem offendit, sed etiam ob principium narcoticum nervis inimicum, ut plures arbitrantur scriptores, inter quos est laudatus Joseph Franch, qui effectus venenatos vaporis carbonum magis ab hoc narcotico principio, quam ab acido carbonico repetit, ut op. cit. §. XCIX. pag. 526. hisce verbis confirmat = Carbonum vapor corpori humano duplici ratione infensus est, nimirum tum per evolutionem gas acidi carbonici opus respirationis laedentis, tum per principium aliquod narcoticum systemati nervoso praecipue cerebro infensum. Effectus veneficos vaporis carbonum; magis ab hoc principio narcotico, quam ab illo gas repetimus; vidimus enim, quod, dum plures homines in uno eodemque a vapore carbonum contaminato loco diversa super strata jacent, ii qui superius locati sunt plus, quam inferiore loco positi patiuntur, cum tamen, si gas acidum caussa praecipua asphyxiae esset, contrarium foenomenon contingere deberet. = Ex variis etiam gas, et a sublata proportione inter gas oxigenium atmosphaerae et gas

azoticum respiratio labefit, et etiam distinetur, et hinc ansa praebetur asphyxiae. Assidue gas acidum carbonicum pervolvitur ubi plures congregantur homines, aut plures ardent candelae, ut in scholis, ecclesiis, theatris; in locis ubi mustum, cerevisia, aliaque vegetabilia fermentationem subeunt; in quibusdam locis subterraneis. In istis enim locis atmosphaera aut partim aut omnino gas oxygenio privatur, unde homines concidunt sine voce, sine motu, et vera asphyxia corripiuntur. In locis etiam subterraneis explicatur gas hydrogenium, quod interdum horribiles excitat explosiones, quibus occurritur lampade securitatis, cujus inventor fuit praeclarissimus Davy. Gas hydrogenium purum parit asphyxiam; sed si cum aëre atmosphaerico immiscetur, aut cum gas oxygenio, sine damno, saltem per aliquod tempus, respirari potest. Gas vero hydrogenium cum carbone, sulphure, phosphoro, et ammonia subinde commiscetur, et tum continet venefica principia, ex quibus inducitur nausea, vomitio, motus convulsivi,

frigus, respiratio irregularis, pulsus oppressus, livor labiorum, spuma cruenta ex ore, dilatatio et immobilitas pupulae, cordis motus irregularis, asphyxia, et mors. Non raro homines fulmine icti in asphyxiam concidunt, nimirum sine respiratione et pulsus, non secus ac exanimi remanent. Hi vero asphycti plus quam alii calorem retinent; plures emittunt odorem sulphuris; corporis superficies aut integra, aut striis rubris notata, aut sicut candente ferro tacta; crines saepe adusti. Caussa mortis in hoc casu est suffocatio a vaporibus sulphuris, concussio systematis nervei ab ictu fulminis, compressio cerebri ab effuso sanguine. Plures credunt caussam mortis esse stimulum electricum vitae principium exhaurientem. Si siderati non moriantur, sed convalescant, exhibent epidermidis desquamationem; sensus tactus privationem; impotentiam tolerandi atmosphaericam electricitatem; dolores et tumores in variis corporis partibus; paralyses, praesertim extremitatum inferiorum. Aliquando asphyxia a corporibus in

tracheam vel oesophagum illapsis, et ipsam asperam arteriam comprimentibus producitur. Ingens tum est respirandi labor cum stertore; cum tussi brevi interrupta rejiciuntur sputa spumea, et cruenta; maxima est pectoris oppressio; torquent acerbi et acuti dolores; vix possunt verba pronuntiari; pulsus est intermittens; frigida sunt extrema; interdum invadit emphysema; deinde suffocatio, nisi corpora extranea sive tussi, sive vomitu expellantur. Interdum hujusmodi corpora sinubus muccosis laryngis haerentia in asperam arteriam, et in pulmones descendunt. Inter vero asphyxias symptomaticas frequentiores sunt illae a vitiis cordis, et vasorum, et ab affectione hysterica productae. Nonnunquam hystericae mulieres mortuae videntur, sed aut sponte, ut arte, nimirum applicatione vehementium stimulorum, manifestantur vitae signa.

§. 1932. Ut plurimum in cadaveribus reperiuntur quae observationem merentur, ut cor sanguine turgidum; in ejus ventriculis polyposae concretiones, et sanguis

grumosus; vasa cerebri modo tumentia, modo vacua; sanguis niger in aorta; interdum venae sanguine plenae; tam in recens natis quam in adultis vitia cordis et vasorum, ut dilatationes, polypi, cordis volumen vel auctum, vel imminutum; interdum sanguis omnis solutus, ut observavit Morgagni Epist. IV. n.° 8. Praeterea pro diversis asphyxiae caussis varia animadvertuntur. Si enim caussa fuerit fulmen, cadavera prompte putrescunt; cor sanguine turgidum; pulmones collapsi: si carbonum vapores, livor est universalis; ante os spuma; vasa sanguinea cerebri dilatata, et cruore turgescentia; aorta vacua; vena cava repleta; sanguis omnis niger, et solutus: si submersio, vasa cerebri modo inflata cruore, modo exhausta; venae jugulares, et cava referta sanguine; venae pulmonum, et aorta nigrum sanguinem continent; cor sinistrum hoc redundat, dextrum sanguine non nigro; epiglottis erecta; pulmones aëre et sanguine affluentes; cellulae aëreae disruptae; interdum in pulmonibus et ventriculo cumulatur aqua,

interdum nihil: si suspendium, luxatio vertebrarum colli non, ut creditur, invenitur, sed inveniuntur vasa cerebri sanguinea turgere; trachea conferta sero; pulmones liventes; vena cava et auricula cordis dextri sanguine plena; dexter ventriculus dilatatus; angustus ventriculus sinister; hepar caeruleum; extensa vesica urinaria; vesiculae seminales spermate repletae.

§. 1933. Si asphyxia in defectione respirationis, et circulationis sanguinis consistat, curandum est, ut hae restituantur functiones. In universum dici potest quod emetica non conveniunt nisi in summa primarum viarum sorditie, et in assumptis venenis. Venae sectio saepe nocet; sed in juvenibus robustis, lacertosis, plethoricis, et cum facies livida est et turgida levamen affert. Non solum autem vena brachii, sed etiam venae jugulares utiliter incidi possunt. Saepe etiam necessarius est aëris inflatus in pulmones; frictiones; enemata; stimulantia; electricitas. Sed ut recta et apposita instituatur curatio, diversae causae, diversique casus prae ocu-

lis habeantur. Si itaque caussa fuerit frigus, quod imminuat et exstinguat vitalem vim, sensim detrahantur vestes; conservetur positio, quam sub actione frigoris corpus sumpsit; huic apponatur nix, et etiam nive frictiones fiant; si hoc modo aliquantisper regeletur corpus, aqua frigida simplici fiant lavationes; deinde vinum aut alcohol misceatur aqua, vel fiant frictiones panno laneo aqua ardenti frigida madido. Postea, deterso corpore, in strato frigido, et in frigido cubiculo collocetur asphyctus. Naribus admoveantur volatilia; titillentur plantae pedum; etiam clysteres ex aqua et aceto injici possunt; gradatim calor augeatur. Si vero nihil proficiat, non calidus aër in pulmones inducatur. Cum autem respiratio et circulatio redeat, prius dentur simplicia jura, postea nutrientia non stimulantia. Si autem asphyxia a defectu puris aëris oriatur, hic in pulmones introducatur. In Anglia Gulielmus Fossack ann. 1744. post tres horae quadrantes hominem in vitam hoc modo revocavit. Ipse aut nares claudebat asphy-

cti, et suum os hujus ori applicuit, et in hoc vehementer sufflabat, aut unam comprimebat narem, et in aliam tubum ad sufflandum idoneum intromittebat. Quoniam vero expiratus aër minorem continet oxygenii quantitatem, tubus praeferendus est; sed si hic desit ore insufflandus aër est. Hic autem cum renovari debeat, Goodwin, aliique instrumentum ad introducendum et extrahendum aërem ex pulmonibus excogitarunt. Nos vero necessarium non credimus inductum aërem extrahere, sed solum hunc in pulmones indere aut simplicis follis ope, instructi tubo ex gummi elastico, qui ad principium usque canalis aërei impelli possit; aut per nares esse immittendum. Credimus etiam leniter injiciendum aërem esse; deinde in parte inferiore comprimendum thoracem, ut a pulmonibus expellatur. Hac enim ratione introducendo, et expellendo aëre, cordis motus, pulmonumque excitatur. Quidam gas oxygenium purum inducere confinxerunt, quod experientia demonstravit nocuum. Cum vero omnia incassum tentata fuerint,

ad electricitatem confugiendum est. Nunquam ictus electrici vehementes sint, et ad viciniam cordis et pulmonum dirigantur. Cum aliquod vitae appareat signum, exhibeantur quae molliter ventriculum et nervorum incitant systema. Cum caussa asphyxiae submersio sit, olim vix submersi ab aqua extrahebantur verso capite ponebantur, quod nostris temporibus jure proscribitur. Transactis etiam temporibus locabantur submersi in dolio utrinque aperto, ut utiliter circum agerentur, quod fuit reprobatum, quamvis ab insignibus practicis haec methodus fuerit laudata. Alii vero sunt, qui hanc non omnino respuunt, dummodo aliqua fiat moderatione, ut Joseph Franch inquit op. cit. §. CI. n.° 8. pag. 545. ═ Methodus haec, duce experientia, laudata, culpa hypothesium reprobata, modificari potest. Sufficit enim corpori, aut saltem capiti, talem positionem declivem conciliare, ut aqua, si illa praesto esset, libere effluere possit. ═ Verum quamvis casus felices ab hac methodo narrentur, indubium est, quin dolii circum-

actio possit male submersos afficere, nimirum eorum caput laedere, et etiam apoplexiam afferre. Potius igitur super ventrem, et super latus reponantur submersi. Hi vero ut abducantur ab aqua, quaedam adhibentur instrumenta, ut furca et harpago, sed cavendum ne qua afferatur laesio, quod fieri facile potest, nisi de hoc operantes satagant. Vix autem submersi erepti fuerint ab aqua, lavetur os panno, aut spongia aqua calida madefacta; gradatim corpus excalefiat; fiant frictiones manu simplici, vel panno laneo; ponantur super calidum sabulum; tegantur stragulo laneo; apponantur excalefacta corpora; spiritu vini camphorato illiniatur cordis scrobiculus; admoveatur naribus ammoniaca; titillentur plantae pedum; aliquot guttae aetheris, aut alterius incitantis remedii in os indantur; partibus pudendis panni sicci et calidi applicentur; injiciantur clysteres ex aceto, vino, aut alio calido et aromatico liquore. Generatim damnantur clysteres ex tabaci fumo; sed indubium est, quin interdum propter eorum

irritantem vim juvissent. Si vero omnia adhibita auxilia nullum habuerint exitum, electricitas non est omittenda. Animadvertendum est quod si vasa repleantur sanguine, venae sectio locum habet. Etiam curandum est, ut cito aër in pulmones introducatur. Ratio ad hoc impetrandum magis simplex, magisque prompta, et quae felicius evenit, est admovere os hominis sani illi asphycti, ut in pulmones immittatur expiratus aër, obstructis hujus naribus. Hoc eodem loc. pag. 549. ita confirmat Joseph Franch = Enim vero et hic credimus, talem aërem, ob id ipsum quod minus oxygenii continet, aegre asphyctico, utpote magnum stimulum respuenti; magis quam aër atmosphaericus purus, et simplex gaz oxygenium accomodatum esse. Quod si homo ad indicatum officium adimplendum desideraretur, posset aër, clausis naribus, ope follis in pulmones introduci, ac compresso thorace vicissim exprimi. = Cum asphyxia proficiscatur a suspendio, tanquam nullum esset remedium, jam pridem linquebantur suspensi, siquidem produci

vertebrarum cervicalium luxatio credebatur, et respiratio intercipi. Verum si prompte illis succurratur, qui sponte laqueo tentant sibi ipsis eripere vitam, a morte nonnunquam liberantur. Hi protinus a laqueo sunt eximendi, et sustinendi; ponantur super terram, aliquantulum capite et pectore elevato, et in loco perflatili; auferantur vestes; moveatur collum, ut trachea suam capiat positionem; in pulmones immittatur aër; aperiatur vena jugularis; frictiones fiant pannis laneis super pectus et abdomen; admoveatur naribus ammoniaca; os aqua tepida abluatur; vultus aqua cum aceto aspergatur; corpus involvatur pannis calidis; cum asphycti incipiant moveri, detur ipsis generosum vinum; lintea aqua et aceto madida super caput apponantur. Sed si talis relicta fuerit a laqueo constrictio, et tam lingua propensa, ut aëris et remediorum introductio impediretur, ad tracheotomiam, et ad remediorum per anum immissionem confugiendum est. Si asphyxiam effecerit fulmen, cujus effectus est nervos stupefacere, et ad cerebrum

sanguinem transferre, ut perculsi fulmine non secus ac statuae remaneant, admodum varia curatio est. Incitantia enim modo damnosa, modo utilia sunt. Detractis ideo vestibus, si corpus sit robustum, facies turgida et rubra, adsint inflammatoria symptomata, a vena jugulari, et a venis brachii extrahi potest sanguis; etiam copiosae hirudines ad tempora, et cucurbitulae scarificantes collo, retro aures, raso capiti applicentur; aqua et aceto perfundatur vultus; immittatur aër in pulmones; injiciantur clysteres, qui ut plurimum aqua tepida, aceto, et sale parantur. Si contra corpus gracile admodum sit, et viribus exhaustum, conveniunt calefacentia, incitantia, frictiones, electricitas, balneum terrae, nimirum denudatum corpus in fossa ponitur, sublato capite, deinde ad manus altitudinem obducitur terra, identidem etiam frigida aspergatur facies. Hoc positu maneat donec vel vitae redeuntis, vel mortis signa compareant. Qui proximi sunt loco, quo decidit fulmen, quia aër non respirabilibus gas vitiatur, in asphy-

xiam saepe delabuntur. Hos quoque juvare potest sanguinis missio a vena brachii vel jugulari, maxime si plethorici sint; fundere corpus aqua frigida; acres clysteres injicere. Si vero mephitici vapores asphyxiam induxerint, transferantur asphycti in locum, ubi aër ambiat subfrigidus; caput aliquantum elevetur; aperiatur os; irrorentur frigida, cum respirare incipiant, et aliquam aquae cinnamomi guttam deglutiant; deinde aliquam dosim aquae stillatitiae cum eadem aqua cinnamomi hauriant. Si asphyxiae caussa sint extranea corpora in tracheam delapsa, haec videndum an fluida sint vel solida. Si fluida, interdum sufficiunt vapores aquae ferventis, si ore aperto excipiantur, secus emetica sunt exhibenda: si solida, aut sunt parva, et tum sperandum, illa per glottidis rimam rejici per illam vehementem tussim quae excitari solet; et ubi tussis non sit satis violenta, acuenda est; sic aquae tepidae gargarismata fiant: aut corpora non sunt tam exigua, et horum rejectio sperari nullo modo potest, ad tracheo-

tomiam veniendum est. Si asphyxia consequatur commotionem cerebri, generatim venae sectio instituenda est; aspergatur frigida; clysteres irritantes immittantur: denique flores arnicae utiles sunt. Si asphyxiae caussae internae sint, investigandum, quae ipsae sint. Si ergo caussa sit virium vitalium oppressio propter nimiam sanguinis quantitatem, haec in primis imminuenda est: si contra sit debilitas, et inopia sanguinis, oportet apto regimine incitare et restituere vires; si ab aliquo animi pathemate, unde vitales motus sistunt, auxilium praecipuum est sanguinis missio, quamvis nullus percipiatur pulsus; nam quid melius sublevare potest cor a vi pathematis oppressum, quam sanguinis imminutio? Si asphyxia contingat in recens natis, sollicite hujus origo scrutanda est. Si eorum facies turgida sit et rubra, aut livida, quod indicat nimiam sanguinis copiam ad caput ferri, oportet ut è funiculo umbilicali aliqua uncia sanguinis exeat; caput autem recens nati frigida abluatur. Si vero a funiculo umbilicali constringatur

collum, haec constrictio promte auferenda est. Interdum in recens natis cohibetur respiratio a mucco, et a coacto in ore lacte; tum os ipsum expurgandum est. Si neonatus non resumat vires, facies sit pallida, non incidatur funiculus umbilicalis; corpus tergatur aqua et vino calido: super vultum perfundenda est aqua frigida; promovenda est respiratio, quod fit introducendo aërem in pulmones follis ope arte ad hunc finem exstructi; ponatur super linguam aliqua gutta aquae cinnamomi; naribus admoveatur ammoniaca; aut manu simplici, aut spiritu vini madida super columnam vertebralem frictiones fiant; parentur clysteres in quibus sit paucus sal, aut paucus sapo; locetur puerulus super mollem culcitram, conveniens caloris gradus conservetur; et ubi respiratio restituitur, corpus indusio laneo involvendum est, ut sensim sensimque ad vitam revertatur. Si asphyxia symptomatica sit, variam exposcit curationem, praesertim pro varietate caussarum, quae primarium morbum concitarunt. Si ex. gr. contingat in

hysterica affectione praeter antispasmodica et anthysterica conveniunt quae caussis opponuntur affectionis istius. Si autem vires non revocentur, aegrae maneant in lecto, nec ullis vinculis coerceantur. Tandem si asphyxia traumatica sit, dissimilia pro variis casibus esse debent auxilia.

GENUS VIGESIMUM

Pyrosis

§. 1934. Si rectum, et constans exercitium functionum aequilibrio, et proportione virium vitalium continetur; si hoc est illud principium evidens, quod sine pathologicis subtilitatibus ordinem vel perturbationem explicat functionum omnium; nullibi tam clare elucet, quam in ventriculi affectionibus, quae ut plurimum vel ab augmento, vel ab imminutione virium vitalium proficiscuntur. Ventriculus enim est viscus, quod prae aliis organis, majorem vasorum sanguineorum quantitatem

recipit, et ideo facile irritatur, et ab hac irritatione plures nascuntur morbi, ut dolor urens cum vomitu humoris acris, viscosi, biliosi; dolor fixus et minime urens; dolor acerbus cum lipothymiis; morbosa, et immodica fames; appetitus depravatus. Aliquando autem vires vitales ventriculi languent, et ab hoc languore oritur defectus, aut imminutio appetitus; difficilis alimentorum digestio; continuum desiderium bibendi, aut privatio sit. Subinde vel per irritationem, vel per intemperatam nervorum sensibilitatem generatur spasmus, a quo surgit illa affectio, quae ventriculi anxietas vocatur. Inter vero tot aegritudines, ut ordinatim procedamus, a pyrosi incipiendum est.

§. 1935. Pyrosis dolor molestus est et urens in regione epigastrica, quem vomitus humoris aquosi, viscosi, insipidi vel acris, et interdum biliosi cum eructatione excipit. Vox pyrosis, πύρωσις, ustionem significat, a verbo graeco πυρόω, uro. Hujusmodi vox antiquis temporibus ad ruborem igneum indicandum adhibebatur, qui

illorum in facie deprehenditur, qui diebus et horis ardentibus faciunt iter. Nostra vero aetate pyrosis importunum et urentem ventriculi dolorem ostendit cum vomitu. Hanc ob rationem, quia nempe praecipuum hujusce affectionis symptoma sit vomitus, plures scriptores una cum vomitu de pyrosi loquuntur; verum antea vomitum urget dolor. Ratione hujusce doloris Sauvages, Sagar, aliique nosologi inter dolores pyrosin collocant. Nos autem cum plerisque inter neuroses eam ponimus, de qua cum de vomitu disputaverimus per transennam loquuti sumus.

1936. Pyrosis est primaria, vel symptomatica; levis, vel gravis. Primaria nascitur a quibusdam caussis, ut a nonnullis alimentis, vel potionibus; symptomatica a morbis, quorum nomine distinguitur, ut pyrosis ab inflammatione, ab ulceribus, a conceptione, etc. Est levis, et fugax, cum symptomata sunt parvi momenti, et caussae etiam leves, ut illa est ab indigestionibus producta, quae a Sauvages dicitur vulgaris; est gravis et persi-

stens cum symptomata gravia sunt, et etiam persistentes caussae, ut illa est qua bibaces et helluones laborant. Signa pyrosis sunt dolor in regione epigastrica cum ardoris, stricturae, et ponderis sensu. Hic dolor persaepe corripit mane, jejuno ventriculo; interdum tam augetur, ut fiat ferus, et per aliquod tempus moratur. Postea ab ipso ventriculo fluidus humor, aquosus, insipidus, viscosus, acris, biliosus cum frequentibus eructationibus detruditur. Post hanc humoris expulsionem, et eructationem paroxysmus cessat. Observandum est, quod propter ardoris sensum, qui ad oesophagum usque extenditur, a pluribus vocatur pyrosis ardor ventriculi. Quum haec levis est, non affligit nisi aciditas et ardor, qui saepe a ventriculo usque ad guttur porrigitur; circa epigastrium est molestia cum expuitione salivae acidae; nausea, et vomendi proclivitas. Haec autem symptomata cito diffugiunt. Sed si pyrosis gravior sit, omnia symptomata sunt majoris momenti, magisque tenacia. Aegri ad iram, et tristitiam propendent, eodemque tem-

pore aliquem motum convulsivum, et faciei distorsionem patiuntur. Cum pyrosis symptomatica sit, in conspectum veniunt symptomata primariorum morborum, ut gastritidis, hepatitidis, cystitidis, etc., si hujusmodi inflammationes eam produxerint. Sic si ulcera ventriculum rodant, ab assumptis alimentis et potionibus acerbissimi et urentes suscitantur dolores, qui ad gemitus, suspiria, ejulatus, desperationem, et tandem consumptionem, et mortem adigunt. Non raro mulieres post conceptionem usque ad graviditatis finem patiuntur.

§. 1937. Caussa proxima pyrosis est ventriculi irritatio a pungentibus humoribus inducta, unde dolor, ardor, vomitus, eructatio sequitur. Parantur ad pyrosin homines mediae aetatis, tristes, hypochondriaci, biliosi; mulieres, praesertim innuptae, et hystericae, pueri voraces; infantes lac sugentes; qui laborant aciditatibus ventriculi, et hunc laxiorem habent. Excitantes autem caussae sunt cruditates; alimenta acida, cruda; intemperantia quoad potiones vini, liquorum spirituosorum, ce-

revisiae; condimenta pinguia, rancida; bilis acris, quae ascendit in ventriculum; quaedam animi pathemata, praesertim moeror. Familiaris profecto est pyrosis inter bibaces et edones; sed aliquando sine evidenti caussa aggreditur, etiam si homines temperantes sint; quin parum vini hauriant, et optima comedant alimenta, et ad facilem digestionem apposita. Hoc quidem explicari non potest, nisi per illam idiosyncrasiam, propter quam ab humoribus optime secretis, et a salubribus alimentis efformatur acidum, quod urit, et lancinat.

§. 1938. Pyrosis, si levis est, et ut diximus fugax, saepe redit, et fit pertinax, ut evenire solet in hypochondriacis. Rarissime vero, etiamsi sit gravior habet lethalem finem. Maxima vero difficultate haec vincitur, utpote ad recidivam admodum propensa. Subinde, si cognoscatur causa, satis est hanc removere, ut penitus evanescat; vel etsi caussa eripiatur, per totum vitae cursum molestat. Curatu etiam difficilis est, si ejus cunabula in idiosyncrasia inveniuntur. Si autem pyrosis sit sympto-

matica, modo constituit nullius momenti symptoma, ut in febribus intermittentibus benignis, in conceptione; modo periculosum, ut in inflammationibus ventriculi, aliorumque viscerum abdominalium; modo lethale, ut in exulceratione ventriculi ipsius, cum scilicet ulcus exedit viscus, unde etiam febris hectica, consumptio, hydrops ascites, et mors consequitur.

§. 1939. Cum non semper pyrosis cognoscatur caussa, interdum non potest nisi institui generalis curatio, quae absorbendis humoribus et aciditatibus, in ventriculo praesertim stabulantibus continetur. Quapropter levibus praemissis purgantibus, et absorbentibus, illa conveniunt auxilia, quae corrigere possunt humores, et immodicam ventriculi sensibilitatem minuere. Dum vero caussa morbi intelligitur, ut bilis, quae acida vomitu redditur, ut non raro evenit in ictero, dandum est leve purgans, ut pulpa tamarindorum; deinde absorbentia, et eadem purgatio repetenda est; tandem si necessitas purgandi persistat, commendabilis est aquarum acidularum usus. Si

vero pyrosis nascatur ab affectionibus convulsivis ut ab hysterica et hypochondriaca, non solum locum habent absorbentia, praesertim magnesia, sed etiam antispasmodica. In pluribus hominibus caussa reperitur in viscosis humoribus; et tum merito laudatur tabaci fumus, et interdum etiam juvat illud mandere. Quoniam vero pyrosis post suos paroxysmos multam saepe relinquit debilitatem, tonica et chalybeata usurpentur. Legi meretur historia pyrosis svecicae, quae ex epist. Linnaei narratur a Sauvages. Dicitur svecica, quia apud Svecos endemica est, nimirum dimidiam populi partem aggreditur, sive mares sive foeminas. Pressorius dolor sub scrobiculo versus dorsum et pectus premit, et repetitis vicibus cum maxima anxietate, donec ex ore instar rivuli saliva redditur cum nausea, et interdum vomitione. Saliva est calidissima, purissima, aquei coloris, ex cujus profluvio mitigatur morbus, aut saltem per unum aut alterum diem non remeat paroxysmus. Hic morbus est rebellis, et saepe per vitam durat. Quoniam prae-

cipua caussa est ciborum qualitas, qui sunt fumo indurati, aut salitae carnes, flectitur morbus carnibus recentibus, piscibus, lacte. Huic vero nullum adhuc certum remedium auxiliatur, quamvis plures adhibent nucem vomicam in pulverem redactam, aut alia medicamina. Si autem pyrosis a vehementibus inflammationibus nascatur, ut ab hepatitide, cystitide, metritide, prompta et efficax sit antiphlogistica methodus. In graviditate ut plurimum sufficiunt absorbentia. Tandem si ulcus serpat et rodat ventriculum, lac praecipuum remedium est.

GENUS VIGESIMUMPRIMUM

Anxietas ventriculi

§. 1940. Anxietas ventriculi est molestia, quae ad quaerendam commodiorem corporis positionem adigit. Anxietates plures sunt, et habent diversa nomina ut ab operibus Hippocratis deducitur. Adhibetur

saepe a practicis vox dysphoria, δυσφορία, scilicet molestia aut difficultas in ferendo morbo ; dum vox euphoria , εὐφορία , in hoc tolerando facilitatem indicat. Anxietates symptomaticae , quae nimirum effectus sunt morborum vel acutorum , vel chronicorum habent diversa nomina, quae ipsos primarios morbos ostendunt , ut anxietas febrilis ; spasmodica ; agonistica ; cardiaca; etc. Anxietas vero primaria , et quae cum aliis anxietatibus misceri non debet , illa ventriculi est. Interdum enim ventriculus molestam sensationem experitur, quae non est dolor , sed ad dolorem accedit , unde nec quies , nec quiescendi locus invenitur, consequiturque pervigilium. Insuper ventriculi anxietas ab hujus morbosa affectione nascitur ; reliquae anxietates nascuntur ut plurimum ab obstaculis , quae in suo cursu circulatio sanguinis invenit. Sunt etiam aliae anxietates, quae ab illa ventriculi , et a symptomaticis anxietatibus distingui debent, in diebus morborum judicatoriis observandae , et a divino Hippocrate perlustratae.

§. 1941. Primaria ventriculi anxietas cognoscitur a molestia regionis epigastricae, cujus caussa aeger agitatur, nec ad quiescendum aptum invenit locum; a respiratione non expedita, et profundis interrupta suspiriis : a pervigilio. Si vero anxietas symptomatica sit, primarii morbi animadvertuntur symptomata. Illa ex. gr. quae dicitur febrilis contingit in febrium cursu, et oritur vel a nimio motu sanguinis, vel ab aliquo impedimento, quod hujus offendit circulatio : vocatur anxietas spasmodica, quae distinguitur a praecordiorum et ventriculi angustia, animi angoribus, nauseis, suspiriis, maxima agitatione corporis, et quae familiaris est in hystericis, vel hypochondriacis paroxysmis, et in illis hominibus, qui nervorum systemate sensibiliori et molliori instruuntur, et nervosis affectibus obnoxii sunt : nomen cardiacae est illi anxietati, quae producitur a cordis vitiis, et majorum vasorum, ut aneurysmata sunt, et polypi, et cognoscitur a symptomatis, quae de praesentia horum vitiorum testantur. Sic

dicendum est de anxietate podagrica, rheumatica, scorbutica, venerea, etc. Appellatur anxietas agonistica, quae in morbis vel acutis, vel chronicis ante mortem opprimit, cum obtenebratur visus; pulsus est inaequalis, imbecillus, deficiens; facies cadaverosa; oppressio pectoris; stertor; palpitatio cordis; virium extinctio. Tandem si anxietas in diebus judicatoriis contingat, in observationem cadunt futurae criseos signa, saltem a naturae viribus instigatae.

§. 1942. Caussa proxima anxietatis ventriculi esse videtur spasmus, qui hoc viscus affligit. Huic morbo obvii se praebent, qui molli et sensibili nervorum systemate conflantur; nervosis affectibus agitantur, maxime ventriculi; animi pathematibus deprimentibus afficiuntur. Praecipuae caussae excitantes sunt graves animi affectiones, errores in diaeta, nimirum nimia alimentorum quantitas; ventriculi plenitudo; perturbata digestio propter assiduum studium, vel institutam post prandium venerem; abusus liquorum spirituosorum;

quaedam alimenta cruda, et quae concoqui non possunt. Hippocr. popularium VII. L. 8. breviter dilucideque adnotavit esum fungi crudi, ut hujusce anxietatis caussam = Τῇ Παυσανίου κούρῃ μύκητα ὠμὸν φαγούσῃ, ἄση ἔσχε, πνιγμὸς, ὀδύνη γαστρὸς Pausaniae filiam ex fungi crudi esu, anxietas tenebat, strangulatio, dolor ventris. = Anxietates symptomaticae, ut vidimus, nascuntur a pluribus morbis, sed praesertim a febribus inflammatoriis, nervosis, intermittentibus perniciosis; ab affectionibus spasmodicis; a vitiis cordis, et vasorum; a lue venerea; scorbuto; et ab agone mortis. Tandem anxietas, quae in diebus indicatoriis evenit, nascitur ab illo tumultu, qui ante crises suscitatur, et a practicis critica perturbatio nuncupatur.

§. 1943. Molesta profecto est ventriculi anxietas, raro lethalis, si excipiatur casus in quo inflammatoria fiat. Spasmus enim qui caussa est hujus morbi vel sponte, vel artis ope resolvitur. Tamen observanda sunt symptomata, quae interdum mala sunt. Inquit Hippocr. praedictorum I.

X. 4. = Οἱ ἀσσώδεες ἀνεμέτως παροξυνόμενοι, κακοί. Qui anxie se jactantes, citra vomitum exacerbantur, male habent. = Sic Coac. praenot. IV. 17. = Ἐν ἐμέτῳ διψώδεα ἐόντα ἄδιψον γαινέσται, κακόν ἐν ἀσώδεσιν ἀγρύπνοισι. In vomitu si quis siticulosus fit, et sitis exors fiat, malum est anxiosis vigilantibus. = Si anxietas sit symptomatica indicat potius faustum vel infaustum exitum primarii morbi. Etenim ubi est febrilis plerumque patefacit gravitatem febrium, et sequelas quas habere potest, ut §. 632. ita tradit Boerhaave = Si anxietas ergo talis diu perstat, circa vitalia producet polyposas concretiones, inflammationes, gangraenas subitaneas, cum intolerabili angustia, et morte cito subsequente; si autem haesit in hypochondriis, tum maximum sensum aegritudinis circa stomachum pariet, reliquis visceribus minus acute sentientibus; dein putrefactiones subitaneas sanguinis in vasis his amplis minusque validis; unde gangraenae, hepatis putredo, dysenteria a putrefacto lethalis. = Quoad autem febres tertianas inquit

Hippocr. Coac. praenot. I. 52. Οἱ τριταιοφυέες ἀσώδεες πυρετοὶ, κακοήδεες. Febres tertianae naturam referentes, cum anxietudine, malignae sunt. = Ex hoc jure meritoque in suspicionem adducimur, Hippocratem febres intermittentes malignas, sive perniciosas cognovisse, quamvis ab aliis locis certius, ut popularium VII. 20. legi potest. Multo minus ominosa est anxietas a convulsivis affectibus inducta, ut illa ab hysterica vel hypochondriaca passione, quae quamvis plerumque fastidium et terrorem afferat, aut per magnam urinarum limpidarum vim, aut per copiosam, et obstrepentem flatuum expulsionem, aut per simplex artis ministerium, nempe antispasmodicorum usu, resolvitur. Discrimine contra plena est anxietas, quae a vitiis cordis, magnorumque vasorum procedit, qua saepissime aerumnosa clauditur vita. Tandem anxietas critica modo infaustam, modo faustam promittit crisin. Generatim timenda non est, si gravioribus symptomatis non componatur, ut sunt anhelatio, frequentia suspiria, pulsus inae-

quales, tussis, quae impedimentum quod in transitu per pulmones invenit circulatio sanguinis revelant. Hippocrates ponit inter signa futurarum parotidum, et futurae haemorrhagiae anxietatem cum pervigilio. Inquit etiam anxietates cum frigore pessimas esse, quia pessime se habere vires vitales expromunt. Legitur enim Coac. Praenot. I. 60. = Οἱ ἐν κρίσιμοισιν ἀλυσμοὶ, ἄνευ ἱδρῶτος περιψυχόμενοι, καὶ ἅπαντες δὲ οἱ ἄνευ ἱδρῶτος περιψυχόμενοι ἀκρίτως, κακον. Καὶ οἱ ἐπιῤῥιγώσαντες ἐκ τȣ́των, ἐμέσαντες ἄκρητα, ἀσώδεες τρομώδεες ἐν πυρετῷ, κακόν. Anxietudines in diebus judicatoriis, si in his sine sudore perfrigerentur citra judicationem, male habent. Et qui insuper riguerunt ex his, ubi vomuerunt meraca, anxii, tremuli in febre malum. =

§. 1944. Curatio anxietatis ventriculi simplex esto, scilicet molliatur spasmus, et amoveantur caussae. Hisce animadversis, remedia plerumque sunt sanguinis missio, purgationes, emetica, antispasmodica, balnea, fotus, clysteres. Hujusce autem

simplicitatis exemplum sumimus ab Hippocr. qui popularium VII. L. 10. ita anxietatis ab esu fungi curationem exposuit = *μελίκρητον θερμὸν πίνειν, καὶ ἐμέειν ξυνήνεγκε, καὶ λȣτρὸν θερμὸν. ἐν τῷ λȣτρῷ ἐξήμεσε τον μύκητα καὶ ἐπεὶ λήξειν ἔμελλεν ἐξίδρωσεν.* Aquam mulsam calidam bibere, ac vomere profuit, et balneum. In balneo fungum evomuit et ubi illa cessatura essent, exsudavit = Si vero anxietas symptomatica sit, varia esse debet curatio. Si enim est anxietas febrilis, in primis videndum cujus febris sit symptoma, ut eligantur remedia, sicut est cortex peruvianus, aut ejus praeparata, si febris intermittens sit. Si sit symptoma vitiorum cordis et vasorum, praeter sanguinis missiones, exiguae doses digitalis purpureae juvant. Si tandem anxietas in diebus judicatoriis contingat, bona crisis adjuvanda est, ut si anxietas antecedat criticam haemorrhagiam nasalem, haec variis modis allicienda est, praesertim aquae calidissimae fumum attrahendo.

GENUS VIGESIMUMSECUNDUM

Gastrodynia.

§. 1945. Gastrodynia componitur duabus graecis vocibus, quae sunt γαστὴρ ventriculus, et ὀδύνη dolor. Etenim gastrodynia est ventriculi dolor plus vel minus acerbus, fixus, non animi defectioni conjunctus, ut cardialgia est; nec febri, ut gastritis; nec sensui ardoris, ut pyrosis. Et quamvis interdum acerbitas doloris afferre potest animi deliquium, hoc raro evenit, ideoque gastrodynia dicitur esse sine syncope. Est primaria, symptomatica, secundaria. Nam subinde suis producitur caussis, ut sunt cruditates, gastricae sordes, flatus, bilis, animi pathemata; subinde oritur ab aliis morbis, ut sunt vermes, calculi gastrici, affectio hysterica vel hypochondriaca, ulcera ventriculi; subinde aliquam metastasim consequitur, ut retrocessionem podagrae; scabiei, herpetum, aliarumque impetiginum; exsiccationem

fonticulorum, et inveteratorum ulcerum. Apud Nosologos gastrodynia habet diversa nomina, secundum ejus caussam; et ideo saburralis, flatulenta, biliosa, ulcerosa, calculosa, hysterica, hypochondriaca appellatur.

§. 1946. Praecipuum gastrodyniae symptoma est ventriculi dolor. Hic est fixus, assiduus, modo plus, modo minus molestus, et gravis. Ex variis vero symptomatis cognoscitur saepe morbi caussa. Aliquando enim dolor magis cruciat, vix sumpto alimento, quod denotat magnam ventriculi sensibilitatem: aliquando in diversis diei vel noctis horis, quod aliquam esse in nervis pathologicam conditionem declarat; aut aliquem in ventriculo humorem adesse, ut est bilis, quae facile a duodeno in illum ascendit; aut flatus, qui in ventriculo clauduntur, eumque distendunt: aliquando vomitus, diarrhoea, lingua sordida post patratos errores in diaetetico regimine, caussam docent esse gastricam: aliquando ingens ventriculi distensio, difficultas respirationis, anxietas,

praecordiorum angustia, necessitas flectendi corpus in anteriora, depressio pulsuum, extremitates frigidae, levamen doloris ab expulsione flatuum, caussam esse flatus ipsos aperiunt: aliquando dolor molestior est quam in gastrodynia saburrali, dejectiones sunt biliosae, aggrediuntur convulsiones, temperamentum est biliosum, ex quibus praesentia acerrimae bilis in ventriculo deprehenditur: si vero dolor ventriculi sit ingens cum erosionis sensu, corripiant convulsiones, delirium, et adnotabiles laesiones partium observentur, dubitandum non est, quin caussa fuerit venenum: si luxetur, vel deprimatur cartilago xiphoidea, excitatur ventriculi dolor, qui fixus est et permanens cum vomitu, et anorexia; et cum morbus perseveret, incipit consumptio, ciborum et potionum vomitus: si ulcus ventriculum irritet, et rodat, evomitur pus, et hectica febris suscitatur: si adsint gastrici calculi, symptomata sunt sensus ponderis in ventriculo, molestia, ad vomendum proclivitas, et ipse calculorum vomitus: si eji-

ciantur aciculae, frustula ferri, monetae, lapilli, ab hoc ipso vomitu cognoscitur, hujusmodi peregrina corpora morbi fuisse caussam: si mulieres hystericae, et homines hypochondriaci prehendantur dolore ventriculi, saepe primariae affectionis non desunt symptomata: si in puellis deficiant menstrua, crebro tumor et dolor eas vexat regionis epigastricae qui ad dorsum extenditur, fiunt pallidae, sub quovis motu respiratio difficilis est, deficit appetitus, aut depravatur, ingens est lassitudo, et crurum oedema, quae symptomata de chlorosi testantur: si tandem in accessionibus febrium intermittentium torqueat ventriculi dolor, hic est earum symptoma, quod sub remissione, aut intermissione evanescit.

§. 1947. Sunt in hoc genere quaedam species praesertim observandae, et a Nosologis descriptae, ut illa gastrodynia, quae a Graecis dicitur periodynia; adstringens Sauvagesii, vel stomachi adstrictio Aëtii; atterens ejusdem Sauvagesii, vel stomachi attritio Boneti; pulsatilis Boneti; quamvis sunt potius gastrodyniae varietates, aut alterius

morbi symptoma. Etenim gastrodynia periodynia, περιωδυνία, est gravis partis dolor, veluti circum illam affligens. Haec vox frequenter usurpatur ab Hippocrate in variis libris, ut et verbum περιοδυνέω, vel περιωδυνέω, vehementem dolorem sentio. Dum igitur Graeci scriptores, et Nosologi loquuntur de gastrodynia periodynia, illam intelligunt, quae a dolore vehementi distinguitur, non tam facile cedit, et magnam debilitatem et consumptionem corporis adducit. Gastrodynia adstringens est molestia digestionis tempore, cum alvo adstricta; calore; praesertim manuum et pedum; faciei rubore; frequentia pulsuum, et etiam febricula. Inquit Sauvagesius Tom. II. pag. 97. = Id morbi autem mihi pendere videtur ab ariditate et erethismo ventriculi, a defectu potus aquosi, et a dispositione spasmodica generis nervosi. = Gastrodynia atterens, ut ipse inquit Sauvagesius, inter digerendum evenit, sed cum extremorum frigore et anhelitus difficultate, unde a praecedenti discrepat. Tandem gastrodynia pulsatilis est illa quae distingui-

tur a dolore cum pulsatione in regione epigastrica. Haec dubitare facit de aneurysmate arteriarum gastricarum, vel aortae; tamen hujusmodi pulsatio plus semel observavi absque arteriarum vitio, quae una cum dolore evanuit. Gastrodynia pulsatilis rara non est in affectione hysterica, et hypochondriaca.

§. 1948. Molesta sensatio plus aut minus incommoda, et persistens est proxima caussa gastrodyniae. Huic obnoxii magis sunt sensibiliores; qui nervosos morbos perpessi sunt, aut patiuntur; temperamento calido, et bilioso instruuntur. Plures sunt qui nec quoad qualitatem, nec quoad quantitatem alimentorum peccant, sed propter idiosyncrasiam, vel nimiam stomachi debilitatem, et sensibilitatem frequenter gastrodynia laborant. Caussae excitantes plurimae sunt, ut qualitates alimentorum, unde non facile digeruntur; immaturi fructus horaei; flatus; bilis acris, porracea; rodentia venena; luxatio, vel depressio cartilaginis xiphoideae; corpora peregrina; etc. Sic dum gastrodynia symptomatica est,

oritur a pluribus morbis, ut ab ulcere ventriculi, calculis gastricis, febribus intermittentibus, affectione hysterica, vel hypochondriaca, etc.

§. 1949. Tam primaria, quam symptomatica gastrodynia esse potest levis vel gravis. Aliquando enim vomitione spontanea, aut artificiali, sive diarrhoea sanatur, ut illa quae venit a nimia ciborum ingurgitatione; aliquando est pertinax et lethalis, ut illa quae excitatur a luxatione vel depressione cartilaginis xiphoideae, a qua producitur et rebellis vomitus et atrophia. Interdum etsi dolor vehemens sit, et alia symptomata gravia, ut in gastrodynia flatulenta, recta tamen curatione morbus vincitur. In gastrodynia biliosa intensus etiam est dolor, sed ut plurimum ejectione et dejectione biliosa hic cessat. Illa quae dicitur periodynia est rebellis, et discrimine plena; siquidem consumere potest corpus, viresque abolere. Gastrodynia vel adstringens, vel atterens quoad prognosim a saburrali, et flatulenta non differt. Si sit symptomatica, interdum nasci-

tur a morbis, qui aut a natura, aut ab opportunis auxiliis superantur, ut chlorosis est; interdum a morbis insanabilibus, ut a ventriculi ulcere, et ideo lethalis est. Etiam calculosa esse potest exitialis, et in cadaveribus inveniuntur lapides variae magnitudinis. Sic dicendum de illa, quae a deglutitis peregrinis corporibus ortum habet. Gastrodynia hysterica, et hypochondriaca fere similes sunt, et post hystericos vel hypochondriacos paroxysmos dissolvuntur; sed in mulieribus tanta saepe remanet in epigastrica regione sensibilitas, ut pressionem etsi levissimam refugiat.

§. 1950. Discrepat curatio secundum species, caussasque. Quamobrem si gastrodynia sit saburralis, levia expediunt emetica, vel purgantia; fomentationes emollientes, clysteres. Etiamsi dolor vehemens sit, nunquam usurpentur narcotica, donec saburrae ventriculo contineantur. Animadvertendum est, dari casus, in quibus a spasmodicis constrictionibus orificiorum ventriculi fere clauduntur impuritates, unde et exasperatur dolor, et respiratio non ex-

pedite peragitur, pulsusque durus vel tardus fit. Dum praeter fomentationes, unctiones oleosas, clysteres, omittenda non sunt balnea, et aliquando etiam sanguinis missio. Sic si caussa morbi sint flatus, subinde dolor intensus est, et pulsus febrilis, et durus, et tum sanguinis imminutio utilis est; sed si dolor sit levis, et pulsus non febrilis, dentur oleosa, ut oleum amygdalarum dulcium recenter expressum; ubi vero dolor perseverat, nec discuti possunt flatus, conveniunt balnea tepida, et aliquod leve narcoticum. Ne hic morbus redeat in primis fugiantur alimenta leguminosa, flatuosa, dyspepta; et aquae minerales acidulae adhibeantur. Etiam in gastrodynia biliosa cum dolor sit violentus et praeceps, et concitetur pulsus, praemittenda est venae sectio; postea haurienda affatim est aqua pulli, et fomentationes fiant, et injiciantur clysteres. Ut autem hujus morbi amoveatur regressus, aquae minerales acidulae non parum juvant. Si caussa fuerint venena, danda sunt antidota quae illis quadrent, sed si

fieri possit statim emeticum praebendum est. Si cartilago xiphoidea luxetur, vel deprimatur, haec manu optimi chirurgi reducitur; sed interdum ampla cucurbitula regioni epigastricae applicita, interdum sanguinis missio profuit, ut hac observatione confirmat Sauvages. = Mulier quae lapsa erat in partem pectoris anticam dolebat epigastrio, dolor a levi tactu crescebat, ea per intervalla sudabat, calebat, facies rubebat, erat oris amaror, anorexia, nausea; identidem deficiebat pulsus, imminebat syncope, a cathartico pejus habuerat. Accitus praescripsi phlebotomiam unam aut alteram, et sic sanata est. = Sic curatio dissidet, si gastrodynia symptomatica vel secundaria. Si enim chlorosis sit primarius morbus, expediunt quae vocant menstrua, maxime chalybeata; si febres intermittentes, cortex peruvianus, vel hujus praeparata; si vermes, purgantia et anthelminthica; si affectio hysterica, vel hypochondriaca, quae in hasce affectiones adhiberi solent, sed lac asininum, si praescribi possit, optimum remedium est,

praeter balnea tepida et antispasmodica; si ventriculi ulcus, etiam praecipuum remedium lac est; si retrocessa podagra, quae hanc ad suam sedem reducunt; si antiqua et exsiccata ulcera, haec sunt reproducenda.

GENUS VIGESIMUMTERTIUM

Cardialgia

§. 1951. Cardialgia, *καρδιαλγία*, est acerbus stomachi dolor saepe lipothymiae conjunctus. Transactis temporibus cardialgiae nomine intelligebatur dolor sinistri ventriculi orificii, quod a veteribus appellabatur cardia *καρδία*. Sed quia arduum est veram hujus decernere sedem, convenerunt scriptores, quemcunque ventriculi asperum dolorem cum tendentia ad lipothymiam, appellandum esse cardialgiam, quaevis sit illius pars, quae magis afficiatur. Nihilominus voluit Alibert hanc affectionem gastralgiam vocare; sed apud omnes remanet cardialgiae nomen, utpote anti-

quissimum, et universim acceptum. Cardialgia est primaria, symptomatica secundaria; sed quaevis ipsa sit, variis nominibus distinguitur a practicis, siquidem ejus origo multiplex est. Dicitur igitur inflammatoria, gastrica, verminosa, flatuosa, scirrhosa, cancrosa, hysterica, hypochondriaca, arthritica, etc.

§. 1952. Signa cardialgiae sunt crudelis ventriculi dolor, qui cum in consensum advehat cor saepissime lipothymiam gignit; ad cordis scrobiculum constrictionis sensus; praecordiorum anxietas. Hisce symptomatibus, quae communiora sunt, saepe annectuntur alia, quae vel morbi caussam, vel majorem hujus gravitatem designant, ut ventriculi tumor, nausea, vomitus, affluxus salivae, singultus, delirium, convulsiones, sudores frigidi, extremitatum frigus. Si itaque cardialgia oriatur a ventriculi debilitate, ut saepe evenit, et habitualis fit, torquet inappetentia, molesti dolores, aegre concoquuntur alimenta, unde crescit universalis debilitas, appetitus defectus, nausea; con-

geruntur saburrae, pravusque evadit corporis habitus. Si caussa sint ventriculi quisquiliae, non deest pondus epigastrii, anxietas, nausea, vomitus, sitis, aut propensio ad vomitum, oris amarities, vertigines capitis gravitas. Si vero claudantur in ventriculo flatus, praeter dolorem difficilis est respiratio, tumor praesertim versus dextram partem epigastrii; eructatio, qua flatus minuuntur. Aliquando caussa sunt venena rodentia et tum dolor est atrox; et molestant vertigines, agrypnia, tormina, alvi siccitas, urinarum suppressio, extremitatum frigus; et pulsus ut plurimum est debilis, inaequalis, intermittens; facies a naturali dissimilis, sed persaepe livescit. Vermes non raro, maxime in pueris afferunt gravem ventriculi dolorem, et nauseam, vomitum, copiosum salivae effluxum, convulsiones. Febres intermittentes perniciosae interdum cardialgicae sunt, et incommodus dolor modo in stadio frigoris, modo in illo caloris excruciat; modo primam, modo sequentes comitatur accessiones, et alia secum

conducit symptomata , quae ejus propria sunt. In lactentibus frequens est cardialgia , quae producitur a flatibus, et distensione ventriculi , atque cognoscitur a praecordiorum anxietate , difficultate respirationis, nausea , vomitu , recusatione lactis, copioso salivae fluxu , et interdum febre , et convulsionibus.

§. 1953. Illa ventriculi irritatio, quae immitem hujus affert dolorem cum proclivitate ad lipothymiam , et ad alia symptomata, quae a consensione procedunt inter stomachum et cor , aliasque corporis partes , ut cardialgiae caussa proxima habenda est. Idcirco non solum Helmontius cognovit potentiam cardias super alias corporis partes , sed etiam in cardia posuit sedem animae sentientis, et archaei. Componuntur ad cardialgiam qui nimia nervorum sensibilitate pollent ; qni saepenumero nervosis morbis laborant ; qui animi pathematibus , potissimum ira , et tristitia corripiuntur. Caussa excitans est quidquid potest lacessere , et irritare ventriculum ; aut hujus vigorem frangere ; aut praeter-

naturaliter sensibilem reddere, ut gastricae impuritates; flatus; venena; alimenta indigestibilia; carnes salitae, et fumigatae; condimenta ex oleo, et adipe rancido; crapula; immodicae jacturae; deprimentes animi affectus. Plurimi autem sunt morbi ex quibus cardialgia oriri potest, ut scirrhus, cancer, tumores ventriculi, et proximorum organorum; febres tam continuae quam intermittentes, maxime perniciosae; vermes; affectio hysterica, et hypochondriaca; inflammatio ventriculi; vitia cordis, et vasorum; defectus symmetriae, et aptae viscerum abdominalium compositionis, et magnitudinis. Sauvages Tom. II. pag. 93. historiam memorat consideratione dignissimam, quae confirmat, ut vitia cordis esse possint in caussa. = Cardialgia per annum post pastum revertens, cum respirandi difficultate, pulsus interceptione aliisque gravibus symptomatis observata fuit ab Antonio de Pozzis apud chiliarcham cujus cor inventum est bovino majus, pulmones flaccidos comprimens, duobus polypis distensum, quod a sumpto cibo com-

primebat ita stomachum ut ea omnia symptomata sequerentur; cardiogmus vero quid sit juxta nos supra diximus . Raro de principiis morborum mecchanicis, in praxi cogitamus , quia omnia saburrae, vel fluidorum vitiis tribuimus. = Aliquando invenitur lien minimae molis, ideoque usibus, quibus dicatur, non fungitur. Si enim non comprimatur a ventriculo ab alimentis distenso , minus ad secretionem bilis contribuere videtur. Non raro vero cardialgia producitur ab aliqua materie quae transfertur ad ventriculum , ut in podagra detentis usuvenit. In his enim frequenter artus dolore carent , dum stomachus vehementer dolet, acceditque vomitus , et celeratur pulsus. Interdum a represso morborum cursu suscitatur cardialgia, ut a dysenteriis improvide cohibitis, aut a parotidibus repulsis.

§. 1954. Ut praenoscamus cardialgiae exitum , videndum quae sit ejus species ; quae caussa ; et symptomata, quae in cursu morbi contingunt. Primaria subinde continua est ; subinde est intermittens; subinde redit sine ordine ; subinde cum do-

lore capitis, pedum, renum, aliisque alternat morbis. Periculosa est continua, praesertim gravibus stipata symptomatis, quae afferre potest ventriculi inflammationem, et mortem; aut, si praesto sint vomitus, acerbi dolores, consumptio corporis, scirrhum, cancrum, et ulcus indicat. Si vero sit intermittens, sive cum ordine, sive sine ordine, pertinax plerumque est, et oppugnat remedia, siquidem vel languore, vel maxima nervorum sensibilitate producta. Fatum autem cardialgiae symptomaticae idem est ac illud primarii morbi. Etenim in inflammatione ventriculi, ejusque cancro, et ulcere; febribus intermittentibus perniciosis, continuis malignis; malignis exanthematibus, ut non raro sunt petechiae, purpura, insanabilis, et lethalis est: ex adverso facile expugnatur in febribus intermittentibus benignis, aut in levibus gastricis affectionibus. Sic secundaria modo exitiosa est, potissimum si a retropulsa materie inflammetur ventriculus; modo penitus abit, ut dum podagra redit ad pedes; renoventur exsiccata ulce-

ra ; et iterum appareant repulsae parotides , et impetigines. Quoad cardialgiae caussas , hae modo occultae, sunt modo graves, modo leves. Nam interdum abduntur, ut calculi fellei, quamvis horum praesentiam conjicimus , si frequenter aggrediatur cardialgia , et corpus inficiatur luteo colore. Inter graves caussas sunt venena ; bilis aeruginosa , et porracea; coagulatum lac: inter leves sunt pituitosus humor , gastricae saburrae, flatus , quamvis etsi hi discutiantur, rursus pervolvuntur. Symptomata quae in cursu morbi aperiuntur , aut bona sunt, ut fluxus sanguinis a vasis haemorrhoidalibus; liber menstruorum decursus, vomitus; aut mala, ut cephalalgia, deliria, convulsiones , agrypnia, singultus, extremitatum frigus. Ubi cardialgicus dolor est vehemens, frequens, spasmodicus, plurima consequi possunt funesta symptomata , ut in juvenibus, plethoricis , sensibilioribus , inflammatio ventriculi ; in senibus irregularitates nervorum, et improvisa mors. Vidit Klein a spasmo cardialgico cartilaginem xyphoi-

dem introrsum ductam; plures practici epilepsiam.

§. 1955. Si ad cardialgiae origines, et symptomata convertatur animus, quisque variam esse debere illius curationem intelligit. Nam si proveniat a plethora et a repressis sanguinis cursibus, utiles sunt sectiones venae vel brachiorum, vel pedum, et hirudines variis partibus applicandae: si a languore ventriculi, juvant corticis peruviani praeparata, infusio ligni quassiae, aliqua tinctura amara, chalybeata: si a venenis, generatim convenit emeticum; deinde lac, praesertim si venena fuerint arsenicalia, vel antimonialia, jura pulli, demulcentia; clysteres; semibalnea; et tandem narcotica: si a flatibus, cum pulsus sint validi, et temperamentum plethoricum, prius expediunt sanguinis missiones, post clysteres, tandem sedantia; cum vero temperamentum sit pituitosum, frigidum, debilis ventriculus, provecta aetas, stomachica et carminativa: si a gastricis impuritatibus, adhibenda sunt emetica, purgantia, jura pulli, clysteres,

et fomentationes: si in pueris ab aciditatibus, et vermibus, purgantia, absorbentia, anthelminthica, clysteres: si ab inflammatione ventriculi, curatio ab illa gastritidis non differt: si ab affectionibus nervosis, sedantia, antispasmodica, balnea, semicupia, pediluvia, stillicidia usurpentur; si a febribus intermittentibus perniciosis, praecipuum remedium est cortex peruvianus; sed si immineat inflammatio ventriculi, aeger sit plethoricus, pulsus pleni et fortes, dolor vehemens, incipiendum est a sanguinis missione, et ut mitigetur doloris acerbitas, fiant fotus emollientes, et unctiones oleosae, etiam dentur oleosa: si a retrocessa podagra, haec ad pedes reducenda: si ab exsiccatis ulceribus, haec iteranda: si a repulsis impetiginibus, hae sunt ad corporis superficiem revocandae: si a retroactis parotidibus, hae sunt iterum excitandae.

GENUS VIGESIMUMQUARTUM

Bulimia

1956. Bulimia, *βȣλιμία*, *βȣ́λιμος*, *βȣλιμίασις*, scilicet bovilla fames, seu insatiata edendi cupiditas.. Est igitur ventriculi morbus, qui consistit in intemperata esurie, quae superat digerendi vires. Quia vero aegri intemperanter edunt, et alimenta concoquere nequeunt, saepissime suscitatur vomitus, diarrhoea, animi deliquia. Fames in statu sano revertitur, cum necesse sit, ut corpus nutriatur, et assiduae resarciantur jacturae; nihilominus, ut alia plura vitalia foenomena, leges audit habitudinis, reditque quibusdam horis, cum nempe vesci solemus, quibus transactis, appetitus deperditur. Si bulimia nascitur a peculiaribus, diversisque caussis primaria est; symptomatica, si ab aliis morbis oritur. Quoniam in hoc morbo dissimilia deprehenduntur symptomata, ab his Nosologi desumpserunt species, quibus varia dederunt nomina.

§. 1957. In bulimia immodice editur, quin veniat satietas; sed si sumpta alimenta longe superent digerendi vim, non solum ut diximus consequitur vomitus, diarrhoea, animi deliquia, sed etiam languor, lassitudo, ventriculi molestia, glandularum salivalium irritatio, nutritionis defectus, macies. Alia etiam interdum observantur symptomata, quae dependent a diversitate caussarum, ut ex. gr. oris aciditas, corrosio ventriculi, vomitus acidus, si ab aciditatibus ventriculi nascatur morbus. Species autem constituuntur ab aliquo symptomate, quod vere specificum est. Itaque in illa specie quae dicitur canina, adnotatur alimentorum incoctorum vomitus, qui in edacibus canibus, aliquid semper vorare cupientibus, familiaris est. Nescio vero an illa species quae dicitur cardialgica primaria sit, vel symptomatica. In hac aegri pauco cibo satisfiunt, qui non concoquitur; torquet cardialgia, et frequens lipothymia. Si tam turbatur ventriculus, ut non mutata alimenta egerantur, tum illa constituitur species, quae vocatur lu-

pina fames, seu lycorexis. Bulimia autem quae a Nosologis dicitur esurigo, in qua scilicet duplum vel triplum sumitur consuetae quantitatis alimentorum, dum omnibus numeris absolvitur digestio, non ut morbus habenda est, siquidem desunt morbosa symptomata. Non raro haec observatur in gravidis, et in adolescentibus, post aliquem toleratum morbum. Praecipuae bulimiae symptomaticae sunt verminosa, illa infantum, quae nuncupatur addephagia, illaque convulsorum. Bulimia verminosa cognoscitur a signis vermium, qui sunt in ventriculo, eumque lacessunt, et aliquid materiae nutribilis furunt. Sunt ergo signa dolores abdominis; fugaces genarum rubores; nausea, halitus foetens; sensus reptatus in oesophagum; diarrhoea; pruritus narium; stridor dentium; peculiaris habitus; propensio ad soporem; somnus interruptus; ejulatus; etc. Bulimia addephagia occurrit in pueris atrophicis, rachiticis, scrophulosis, obstructionibus viscerum laborantibus. In istis pueris adnotatur maxima voracitas, ut indicat ipsum morbi no-

men, nempe ἀδδηφαγία, ἀδηφαγία, ut vorax dicitur ἀδδηφάγος, vel ἀδηφάγος. Praeter autem voracitatem, conspicitur pallor; tumor abdominis; debilitas ingens; musculorum flacciditas; glandularum tumor; rubrae palpebrae; spiritus graveolens; etc. Bulimia convulsorum, est symptoma affectionum convulsivarum, praesertim epidemicarum, quae ab auctoribus exaratae fuerunt. Interdum vero est symptoma hystericae affectionis, nec semper alimenta rite digeruntur.

§. 1958. In statu salutis plures proponuntur hypotheses ad exponendum foenomenon famis, sed nostris temporibus conveniunt physiologi, sedem famis non esse solum in ventriculo, sed etiam in universa corporis oeconomia, cum scilicet necessitas reparandi jacturas ad gradum sensibilem pervenerit; sed bulimiae, seu morbosae famis sedes, ut plurimum est in ventriculo, illiusque proxima caussa est ventriculi ipsius irritatio, quae vel producitur ab acrimonia succorum digerentium, vel ab ingenti visceris irritabilitate, vel a vi-

tio conformationis ejusdem. Appositi sunt ad bulimiam qui habitu corporis melancholico componuntur; qui saepe laborarunt, et laborant nervosis morbis; qui viribus ipsis digerendi abutuntur. Excitant autem bulimiam acres succi gastrici, et exstimulans bilis; aciditates etiam in ventriculo collectae; exercitia corporis violenta; itinera per nivosas regiones; hibernum, et penetrabile frigus; aliquod ventriculi, vel intestinorum vitium. In bulimia canina caussa excitans videtur esse qualitas acris succorum gastricorum, et ingens ventriculi irritabilitas, statim ac sumpta tanta voracitate alimenta retineri non possint. Maxima etiam irritabilitas ventriculi caussa videtur in bulimia lupina, si alimenta immutata egerantur. In bulimia quae proficisci dicitur ab aciditatibus, ipsa symptomata harum aciditatum praesentiam demonstrant. Si illa sit quae esaurigo nuncupatur, caussa evidens est necessitas nutriendi corporis, quae ut plurimum urget adolescentiae aetate, post vehementes corporis exercitationes, vel post immodicas

jacturas, vel post aliquem morbum. Bulimia autem symptomatica nascitur, ut vidimus, a plurimis morbis, qui ut plurimum evidentes sunt, ut vermes; convulsiones; febres intermittentes; corporis consumptio, in infantibus frequens; diarrhoea; abdominis tumores; torsio ossium; tumentes glandulae; maxima debilitas.

§. 1959. Quia fames subinde bona, subinde mala est, inquit divinus Hippocr. de veteri medicina XV. 10. = Τὸ γὰρ τῦ λιμῦ μέρος δύναται ἰσχυρῶς ἐν τῇ φύσει τῦ ἀντρωπῦ καὶ ὑγιῶσαι καὶ ἀσθενέα ποιῆσαι καὶ ἀποκτεῖναι. Fames enim magnam potentiam in naturam hominis habet, et sanandi, et debilitandi, et occidendi. = Cum eo perveniat fames ut bulimiam constituat, chronicus morbus est. Interdum sponte disperditur; interdum paucorum et simplicium remediorum ope; interdum est pertinax, et sanatu difficillimus; interdum lethalis, quia affert abdominis hydropem, lienteriam, consumptionem, pedum oedema, quod ad crura et femora extenditur. Necesse est igitur ut specten-

tur species. Bulimia canina et lupina periculo plenae sunt propter luctuosas consecutiones. Non aegre curatur, quae oritur ab aciditatibus. Esaurigo sponte cessat; et illi qui ea laborarunt, utpote bene concoxerunt alimenta, pinguiores fiunt. Bulimia verminosa, modo vincitur, praesertim anthelminthicis; modo alea plena est, quia gravia adducit symptomata, maxime si vermis taenia sit. Periculosissima est adephagia, quae ut plurimum advehit diarrhoeam, consumptionem, maximum languorem, et alia symptomata, quae rachitidis propria sunt. Si bulimia prehendat illos, qui convulsiones patiuntur, nunc brevis est; nunc pertinax, et molesta. Interdum epidemica est, ut observarunt practici; sed aut epidemica, aut sporadica, observandae semper sunt species, et symptomata quae modo levia, modo gravia, modo lethalia sunt.

§. 1960. Si de remediis generalibus in bulimiam loquamur, haec sunt levia emetica, purgantia, antispasmodica, tonica, amara, aromatica. Haec vero interdum ju-

vant, interdum nocent, et symptoma famis augetur. Ut vero emetica, et purgantia non noceant, parvis dosibus danda sunt. Inter antispasmodica praeferatur opium; laudanum liquidum; castoreum, ejusque tinctura; inter amara, et tonica cortex peruvianus; radix gentianae, vel sub forma pulveris, vel extracti; inter aromatica infusio foliorum melissae. Sed etiam bulimiae curatio dirigenda est secundum ejus species. Etenim in bulimia canina emetica et purgantia esse debent levissima, ne vomitum excitent, aut alvi fluxum, ut aliquod ipecacuanhae, aut pulpa cassiae, vel tamarindorum; praeterea omittenda non sunt absorbentia, maxime magnesia, et tandem sedantia, et narcotica. Si bulimia sit lupina, in qua frequens sit animi deliquium, conducunt antispasmodica, cardiaca, alimenta levia et nutrientia, ut oryza, pulmenta ex mica panis et jure vituli vel pulli, gelatinae, pisces; et ubi dolor cruciat cardialgicus, juvat laudanum liquidum ad aliquot guttas. Si bulimia proveniat ab acidis, remedia sunt mitia pur-

gantia, absorbentia, refrigerantia. Si contingat in pueris, et illa sit quae dicitur addephagia, examinandum est, quae sit illis diathesis praeponderans, ut inde eligantur medicamina, ut deobstruentia, martialia, tonica. Si sit verminosa, emetica, purgantia, anthelminthica; si sit symptoma febrium intermittentium, cortex peruvianus, ejusque praeparationes; si sit effectus irregularitatum nervosarum, et convulsionum, utilis est usus aquae niveae, et frigidae immersiones, si validum sit temperamentum; alimenta facilis digestionis, satisque nutrientia.

GENUS VIGESIMUMQUINTUM

Pica

§. 1961. Pica, *κίττα*, seu *κίσσα*, est equivoca vox, quae aut significat avem e cornicum genere, aut morbum, qui etiam dicitur picatio, *κίττωσις*, nimirum depravatus appetitus, aut cupido absurda devo-

randi, et ad corporis nutritionem impertiendam inepta. Haec morbosa affectio dicta etiam fuit malacia, μαλακία, quamvis graeca vox denotat mollitiem, praesertim animi, desidiosam, et enervem. Posteriores vero Nosologi hac potius voce usi sunt ad indicandam picae speciem. Etenim nomine picae intelligunt fastidium consuetorum ciborum, et desiderium absurdorum, et insalubrium, ut sunt terra, calx, carbones, cinis, araneae, panni veteres, coria putrida, stercus, aliaque immunda et exosa; illo vero malaciae, cum non est tam cupiditas edendi aliena, et sordida, quam alimenta, et substantias, quae ob magnam quantitatem, et voracitatem, qua sumuntur nocere possunt, ut aromata, salia, acida. Interdum haec cupiditas, quae in gravidis mulieribus valde frequens est, versatur circa quae sub oculis cadunt. In propositum venirent mira, quae referuntur a medicis, et Gaspare a Rejes collecta Elys. quaest. L. 5. 6.; sed dubito an vera sint. Aliae enim gravidae dicuntur appetivisse humanam carnem; aliae morsibus la-

cerare, et manducare vel humerum, vel collum alicujus hominis cupivisse; aliae avide ventum ore excepisse; etc. Haec autem si vera sint, exhibent potius insaniae, quam malaciae imaginem. Saepe gravidae ardenter desiderant quae circumspiciunt, sed non absurda; et interdum insolita edulia, quae ratione loci, aut anni tempestatis non facile reperiuntur. Appetitus autem picaceus est primarius, symptomaticus, voluntarius, simulatus.

§. 1962. Pica primaria distinguitur ab appetitu depravato, languore virium, anxietate animi deliquiis, et a quadam mutatione vultus. Interdum vero cupide quaeruntur substantiae, quae quamvis alienae sint et absurdae, medicamentorum vicem gerunt. Non raro infantes cacochymici, et ad aciditates proclives, per plures menses terram aut calcem devorant, a quodam fere instinctu ducti. Inquit Sauvages Tom. II. pag. 212. = nativo itaque quodam instinctu ducuntur ad absorbentia terrea, quae hunc acorem corrigant assumenda, ita ut natura in hoc sibi remedium quaerat,

ut quaerit apud canes in gramine eum in finem vorando, ut vomitu rejectum viscosam sui stomachi saburram everrat. = Pica symptomatica non solum ab expositis signis cognoscitur, sed etiam a caussis, et symptomatis, quae primarium morbum ostendunt. Hujusmodi pica frequens est in puellis chloroticis, quae licet ad adolescentiam pervenerint, aut menstruis non gaudent, aut haec nec bene, nec satis fluunt. Hae puellae pallidae et tristes aversantur consueta alimenta, et optant dumtaxat insolita; aut quaedam cupiunt solida, vel liquida condimenta, ut sal, piper; cinnamomum, acetum, oleum, acidi succi, etc; aut devorare inhiant absurda, ut carbones, terram, calcem. Frequens in gravidis plica est, quae, ut diximus non tam absona, quam inassueta et non insalubria requirunt alimenta. Vehemens quidem est in istis hujusmodi appetitus, qui si forte satisfieri non possit, graves consequuntur agitationes, et foetus creduntur nevis adnotari ardentibus matris desideriis respondentibus. Pica autem voluntaria est illa quae a pra-

vo usu edendi aliena producitur, quae admodum debilitant stomachum, et obstructiones generant, et ad pravum corporis habitum disponunt. Sunt mulieres quae voluntario vorant stercum; sed hae ut plurimum laborant insania, ut pluries in nosocomio dementium observavi, ubi etiam homines dementes vidi propria deglutire excrementa. Sunt vero populi qui propter pravum usum vescuntur locustis, muribus, propriisque pediculis. Tandem pica simulata dicitur, cum lucri gratia non sine periculo depravatus appetitus fingitur, ideoque glutiuntur lapilli, vitrum, laminae ferreae, etc. Nosologí inter picae species numerant appetentias substantiarum, ad quas devorandas naturali ducimur instinctu, dum scilicet existunt morbi, qui ab illis, ut innuimus, possunt extingui. Et re quidem vera qui laborant obstructionibus cupide comedunt gramen, et sanantur; sic qui afficiuntur scorbuto expetunt antiscorbutica, et continuo usu acidorum vegetabilium in sanitatem saepe restituuntur.

§. 1963. Plerique auctores reponebant plicae caussam in vitio salivae, humorumque ventriculi; nam a salivae et horum succorum conditione placent aut displicent alimenta. Nos autem credimus, hujusmodi caussam consistere in quodam statu morboso nervei systematis, qui definiri non potest. Sed si existat hic morbosus status, perfecta esse non potest salivae et succorum ventriculi secretio, et ita ventriculi sensibilitas pervertitur, ut optima respuantur edulia, aliena appetantur. Cum autem hic nervorum status maximum attigerit gradum, aegri quoad judicium et quoad voluntatem errant, et ut vecordes habendi potius sunt. Quis enim mente sana optare potest esum humanae carnis? quis stercum? quis crustas stercoreas circa oletum adhaerentes? quis ventum? Quoad vero caussas remotas, experientia edocemur, magnam nervorum sensibilitatem, temperamentum molle, aetatem infantilem ad picam disponere; esse autem caussas excitantes enormem magnitudinem gastrici apparatus; cachexiam; cacochymiam; abu-

sum rerum acidarum, et fructuum immaturorum; vitiosam salivarum et succorum gastricorum qualitatem; quaedam animi pathemata, praesertim moerorem; vitam sedentariam; perniciosas habitudines; mollem et enervem institutionem. Pica symptomatica nascitur a pluribus morbis, maxime ab affectione hysterica, et hypochondriaca, et a graviditate. Ad excitandum vero picaceum graviditatis appetitum non parum institutio contribuit. Inter enim gravidas ruriculas rariores sunt cupiditates et desideria rerum quae non inveniuntur, aut assueta non sunt; ex adverso frequentiores sunt inter illas, qui habitant urbes, et quarum voluptatibus parentes et sponsi studiose satisfaciunt.

§. 1964. Pica gravior est, si appetantur absurda, et ad corporis nutritionem inepta. Hanc enim consequi possunt maximus virium languor, pravus corporis habitus, viscerum obstructiones, lenta febris. Maxime etiam periculosa est, si diu persistat; nec a natura nec ab arte subjici possit. Nam perturbantur functiones o-

mnes, consumitur corpus, infarciuntur glandulae et viscera, et hydrops consequitur. Est pica admodum pertinax in pueris cacochymicis, in quibus per plures menses et annos perseverat; et glandulae, potissimum colli tumefiunt. In chloroticis virginibus ut plurimum sanabilis est, praesertim si obtineatur menstruorum cursus, et secundum naturae leges restituitur. In gravidis post tertium vel quartum gestationis mensem persaepe sponte evanescit; sed interdum citius. Aliquando vero per totam gestationem depravatus excruciat appetitus, jejunoque ventriculo, muccosus et insipidus humor, et copiosa saliva et muccosa egeritur. Ubi pica est voluntaria, quae voluntario nocuas deglutiendo substantias contrahitur, non solum subinde vera fit, sed etiam debilitatur stomachus, pravusque corporis habitus consequitur. Symptomatica nonnunquam utilis est, quia quaeruntur substantiae, quae ut observavimus, primario morbo adversae sunt.

§. 1965. Generalis picae curatio in roborando nervorum systemate, et ventri-

culo, et in emendandis succis gastricis et saliva versatur. Prius vero emetica et purgantia juvant, deinde absorbentia, amara, tonica, et illa alimenta quae creduntur aptiora, et sensim sensimque restituantur aegri ad regulas, quae in statu salutis teneri solent. Si autem de curatione particulariter loquamur, si pica contingat in infantibus cachochymicis, eligenda sunt eccoprotica, ut rhabarbarum, aloë, syrupus de cichorio cum rhabaro, ille persicorum, etc; absorbentia, potissimum magnesia; amara, stomachica, et praeparata ferri, et hujus pulvis cum cinnamomo et saccharo. Interdum in istis infantibus, in quibus ingens est nervorum irregularitas sed satis constent vires, frigidae immersiones, et etiam niveae potiones esse possunt salutares. Si vero pica aggrediatur chloroticas, in primis vocanda sunt menstrua, aut haec ad regularitatem reducenda. Ut plurimum praemitti debent purgantia; deinde absorbentia identidem porrigantur; tandem praeter amaricantia, tonica, stomachica, chalybeata usurpentur. Si appetitus picaceus

compareat in gravidis, et ingens sit quarundam rerum cupiditas, hae sine periculo negari non possunt. Quapropter ubi fieri potest diligentissime istis cupiditatibus satisfaciendum est; sin minus, curare debemus, ut exoptent alia salubriora, et quae facilius inveniuntur; et videant studium, quod ad eas contentas facere haberemus.

GENUS VIGESIMUMSEXTUM

Anorexia

§. 1966. Anorexia, *ἀνορεξία*, est deficiens, vel imminutus alimentorum appetitus. Idem significant voces asitia, *ἀσιτία*, et apositia, *αποσιτία*. Imminutio vero appetitus a pluribus post Blancardum dicitur dysorexia, *δυσορεξία*, quamvis haec vox in graecis lexicis non reperiatur, sicut Castelli lexic. med. animadvertit. Alibert autem ad indicandum morbum, quem nos cum plerisque anorexiam vocamus, voce

dysorexiae usus est. Anorexia vel primaria vel symptomatica est. Illa nascitur a morbosa conditione ventriculi, et nervei systematis; haec ab aliis morbis non solum ventriculi, sed etiam aliorum viscerum, et humorum mutationibus. Sauvages, aliique Nosologi varia anorexiae dederunt nomina, quae praesertim morbi originem ostendunt, ut sunt anorexia, paralytica, pituitosa, plethorica, febrilis, biliosa, catamenialis, arthritica, melancholica, mirabilis etc.

§. 1967. Satis anorexiae signa evidentia per se sunt, simul ac aegri de alimentorum inappetentia, et fastidio conqueruntur. Tamen alia habenda sunt ut generalia signa, alia ut particularia, quae morbi caussas aperiunt. Genaralia sunt appetentia ciborum aut omnino dejecta aut imminuta; acidi ructus post assumpta alimenta; nausea, et amarities oris, alvus adstricta; oppressionis sensus in regione epigastrica; frequens abdominis inflatio. Haec symptomata interdum facile expugnantur, interdum pervicacia sunt, et ideo

summa consequitur debilitas, et consumptio corporis. Signa vero specialia non semper conspicua sunt, sed saepe satis deprehenduntur. Anorexya paralytica est apoplexiae, et aliorum soporosorum, et nervosorum affectuum symptoma; sed interdum oritur a laxitate paralytica ventriculi, quae a variis caussis habere potest originem, et tum rebellis est, et constans est ciborum inappetentia. Anorexya pituitosa contingit in temperamentis pituitosis, et cognoscitur a gravitatis sensu in abdomine, ructibus insipidis, vomitu pituitae, abusu alimentorum tenacium et pinguium. Anorexia plethorica observatur in temperamentis plethoricis, in illis qui laute vivunt, et omnia illius signa denotant redundantiam sanguinis, ut aliqua consueta sanguinis exinanitio suppressa, ut illa menstruorum, aut haemorrhoidum; pulsus durus, plenus, aut oppressus; ingens capitis dolor; cohibetur etiam insensibilis perspiratio. Etenim si pervertatur proportio inter solida et fluida, functiones etiam perturbantur, et ventriculus propter va-

sorum distensionem obruitur. Anorexia febrilis est symptoma febrium intermittentium, et inflammationum, qua nulla frequentior est. Anorexia biliosa producitur a nimia copia bilis, aut ab hujus alteratione, et cognoscitur ab oris amaritie; vomitu bilis; quodam corporis universo calore; luteo colore oculorum, universae cutis, urinarum; magna siti; praegressa ira, et temperamento bilioso. Anorexia catamenialis evenit in nonnullis mulieribus tempore menstruorum, etiamsi menstrua regularia sint. Anorexia arthritica non est infrequens apud podagricos, qui a diuturnis et frequentibus podagrae paroxysmis debilitantur, et ciborum appetentiam perdunt. Anorexia melancholica, qua laborant homines animi pathematibus acti, melancholiam, et aliae mentis alienationes comitatur. Anorexia mirabilis est diuturna abstinentia ut plurimum ab insania producta. Abstinentia enim a cibo et potu, quae per plures menses et annos perstet, cujus historiae apud auctores leguntur, esse non potest nisi dementiae effectus. Ego

etiam in nosocomio dementium pluries vidi, qui per plures menses et cibum et potum recusarunt. Non rara etiam est anorexia cachectarum, quae scilicet cachecticos vexat, et distinguitur a pravo corporis habitu, pallore faciei, obstructione viscerum abdominalium, et ingenti languore. Anorexia saepe excruciat exhaustos, praesertim immodica venere, mastrupationis vitio, et etiam involuntaria seminis jactura, cujus signa sunt moeror, macies, languor, ructus, symptomata hypochondriaca, imminuta perspiratio, palpitatio cordis. Interdum anorexia nascitur a collectione saburrarum gastricarum, et tum est insuperabilis repugnantia ad sumenda alimenta; nausea; oris amarities; desiderium vomendi; sitis, sensus repletionis, qui indicat multas esse impuritates in ventriculo congestas. Etiam recens nati ob varias caussas anorexia laborant. Ut plurimum qui ante tempus a natura institutum in lucem veniunt sunt nimis debiles et languidi, matris papillam non appetunt, nec lac sugere quaerunt. Sunt etiam alii qui

licet non ante spatium novem mensium excludantur ab utero, natura infirmi sunt et deficientes, et nullam lactis appetentiam habent. Sunt segnes, dormitabundi, et si eis offeratur papilla, aut hanc non prehendunt, aut statim deserunt. Interdum infantes ubera non sugunt, quia, ut animadvertit Sauvages, aut fraeno linguae impediuntur, aut torminibus propter retentum meconium excruciantur. Sed in hoc casu recens nati anorexia non laborant, quia avide appetunt lac, et labiis prehendunt papillam, et hanc sugere nituntur. Inter autem species laudatus Sauvages recenset Anorexiam Swartianam. Haec sunt sua verba = Ex vulnere cystidis felleae, bile per vulnus in cavum abdominis effluente, oritur anorexia, sine febre, cum alvi constipatione, aprypnia, borborygmis, doloribus abdominis a flatulentia oriundis; nulla chylificatio, nulla dejectio; haec in homine observaverat Swartius; hoc de arte in canibus excitavit tusa styli ope vesicula fellea. = Tandem observandum est, quod anorexia interdum universalis non est,

sed consistit dumtaxat in aversatione alicujus alimenti, vel potionis. Sunt enim qui omnino aversantur lac, caseum, butyrum, vinum, etc; alii qui quamvis praegustent quaedam bona alimenta, nihilominus haec ventriculo retineri non possunt, et evomuntur, unde etiam in haec contrahitur aversatio. Sunt aliae anorexiae, quae symptomaticae sunt; sed quia primarii morbi saepe obscuri sunt, a quo illae veniant fonte plane ignoratur.

§. 1968. Anorexia primaria symptomatica rarior est. Subinde brevis est, quippe quae nascitur a levibus caussis, et ideo animi remissione, rusticatione, apta exercitatione corporis disjicitur; subinde pertinax, quae scilicet per plures menses et annos angit, unde periculosa est, et etiam lethalis. Interdum enim caussae graves sunt, ex quibus non solum oritur pertinacia morbi, sed etiam lethalia symptomata, ut maxima debilitas, macies, et tandem mors. Exemplum exhibet illa anorexia, quae provenit ab abusu veneris, gravissimis stipata symptomatis, nimirum palpitatione cor-

dis, tristitia, macie, dejectis facultatibus intellectus, viribusque corporis. Anorexia vero symptomatica ut plurimum mala est, si excipiatur illa a graviditate, quae aut fugax est, aut post absolutam gestationem evanescit. Generatim in morbis appetentia alimentorum boni ominis est; inappetentia mali. Quare inquit Hippocr. aph. 33. Sect. II. = In omni morbo valere mente, et bene se habere ad ea quae exhibentur bonum est; contrarium vero malum. = In plurimis autem morbis non solum depravantur salivae, et ventriculi succi, sed etiam nervi sensibilitatem amittunt; idcirco aegrotantes nec molestiam famis, sitisque sentiunt, aut omnia fastidiunt alimenta. Laudatus Hippocr. I. Epidem. narrat in constitutione epidemica de tabidis mortuis, omnes cibos fastidire, nec sitire. In variis autem locis historias aegrotantium refert, et circa hanc rem plures sententias dicit. Etenim III. epidem. Sect. I. aegr. 2. exponit. = Hermocrates cibum aversabatur toto morbi tempore, et ultimis diebus ne degustare quidem potuit. = Hic aeger

die vigesima septima mortuus est. Item Sect. II. ejusdem libri aegr. 6. = Eurynactis filia abhorrebat omnes cibos toto tempore, neque appetebat quicquam, sine siti, neque aliquid bibebat effatu dignum. = Haec aegra interiit post diem duodecimam. Etiam in morbis diuturnis observandum est, an inappetentia ciborum torqueat. Docuit itaque Hippocr. aphor. 3. Sect. VI. = In longis dysenteriis appetitus prostratus, malum: et cum febre pejus. = Jure damnat quoque cum inappetentia sinceras dejectiones. Inquit enim aph. 6. Sect. VII. = In morbo diuturno appetitus prostratus, et meracae dejectiones malum = Sinceras dejectiones intelligit, si hae non misceantur aquosa humiditate; sed a solo humore constituuntur sero destituto, ut humor est biliosus. Itaque sincerae dejectiones denotant, humiditatem corporis a calore febrium exustam. Quamvis ergo anorexia symptomatica plerumque alea plena sit, observanda diligenter est qualitas morbi a quo originem habet. Si igitur proveniat a laesione nervorum, ut paralytica,

est tenax, dubiaeque sortis. Ex hac enim augetur semper nervorum atonia: si a corporis labefactione, praesertim propter intemperatam venerem, et mastrupationem, metuenda est: si sit plethorica, pituitosa, biliosa, saburralis, artrhritica, recta curatione expugnatur: si sit symptoma febrium, exitus varius est secundum naturam febrium ipsarum: si contingat in cachexiis, persaepe sinistra est: si sit melancholiae effectus, nonnunquam sponte redit appetitus. In recens natis inappetentia mala est. Non solum, ut diximus, contingit in illis, qui ante spatium novem mensium utero prodeunt, sed etiam in illis, qui aliquo morbo, saepe gravi et abscondito laborant, unde frequentius obeunt. Mala etiam est in pueris, in quibus juxta naturae legem frequentior esse debet alimentorum usus, quia majorem exposcunt restaurationem. Hanc ob rationem inquit Riverius Prax. Med. lib. IX. Cap. I. pag. 137. = In pueris inappetentia gravior est, quam in alia aetate, propter humidam valde, et dissipabilem substantiam,

qua praediti sunt, et quae majori restauratione indiget usu alimentorum, quibus privantur per inappetentiam. = In illis vero qui senio languent, saepe anorexia exitiabilis est; siquidem residuum vitae penitus concutit.

§. 1969. Cum admodum dissimilis anorexiae origo sit, etiam curatio dispar est. Nam si nascatur ab abundantia sanguinis, ex qua ventriculi vasa praetermodum distenduntur, et ejusdem impeditur contractio, ut evenit si deficiant menstrua, aut consuetus haemorrhoidalis fluxus, in primis secetur vena, et etiam applicentur hirudines vasis haemorrhoidalibus, vel partibus verendis; deinde diluendus est sanguis cum sero lactis depurato, aut decoctionibus hordei, graminis, cichorei: si a collectione humorum lentorum et viscosorum in ventriculo, aliquod leve emeticum dandum prius est, si nihil sit quod ejus usui se opponat; mox aliquod leve purgans, ut cremor tartari, sal anglicanum, rhabarbarum, aloe; tandem expediunt tonica, et amara, ut extractum cor-

ticis peruviani, aut radicis gentianae, ad conciliandum ventriculo satis validum robur: si ab aggestis materiis biliosis, statim porrigatur mite emeticum, miteque purgans; post acida, ut potiones aqueae cum succo mali medici, aut syrupo granatorum, vel ribesiorum, potiones niveae, emulsiones, balnea: si ab atonia ventriculi, roborantia, amara, chalybeata, ut absinthium, chamaedrys, quassia amara, radix valerianae sylvestris, cortex peruvianus, tinctura chalybis Boerhaave, ferrum ipsum, et alia praeparata ferri: si ab immodica venere, et a mastrupatione, in primis ab hisce vitiis detestandis abstinentia; praeterea usus lactis, et alimenta liquida, restaurantia, et facilis coctionis: si a retento meconio in recens natis, unde hi vexantur atrocibus torminibus, evacuandum est meconium purgationibus, ut syrupo de cichoreo cum rhabarbaro, oleo amygdalarum dulcium, manna; super abdomen emollientes fomentationes fiant. Interdum in curatione anorexiae ex quibusdam rebus circumstantibus aliquod emolu-

mentum aegris afferre possumus. Si ex. gr. in tanta ciborum aversatione aliqua expetatur substantia alimentaria, nulla interposita mora, danda est, quae non solum nutrit, verum etiam facit, ut ventriculi reviviscant vires, aliaque quaerantur alimenta. Interdum etiam admodum juvat quorundam amicorum societas, remissio, rusticatio. Cum vero obtineatur sanatio, ne morbus revertatur, fugiantur caussae; alimenta sint levia, digestu facilia, sitis nutrientia, jucunda, leviterque stimulantia; praecipiatur aliquis corporis labor, mentisque applicatio.

GENUS VIGESIMUMSEPTIMUM

Dyspepsia

§. 1970. Dyspepsia, *δυσπεψία*, est difficilis ciborum digestio. Scholae veterum varios hujus distinguebant gradus, istisque varia indiderunt nomina. Vocabatur dyspepsia cum imperfecta sit ciborum coctio;

bradypepsia, βραδυπεψία, cum tarda sit; apepsia, απεπψία, cum prorsus aboletur; diaphthora, διαφθορὰ, cum cibi potius corrumpantur, quam digerantur. Alii huic subdivisioni adjunxerunt cruditatem rancescentem, vel rancidam, quae a sapore rancido discernitur. Quivis vero sit gradus, dyspepsia, seu difficilis digestio, aut est primaria, quae nascitur a propriis caussis; aut est symptomatica, quae est effectus alterius morbi, et saepe graviditatis; aut est secundaria, quae scilicet alium morbum excipit, aut retrocessionem alicujus exanthematis vel impetiginis.

§. 1971. Dyspepsiae signa alia generalia sunt, alia quae ejus differentias aperiunt. Spectant ad prima, molestia et sensus ponderis ventriculi; distensio flatuosa; anxietas; ructus; borborygmi; facies rubra; pulsus varius; pravus linguae sapor, quae modo alba, modo lutea crusta tegitur; demissa ciborum appetentia; vomitus; dolores imi ventris; alvi compressio, aut diarrhoea; faeces aut sine colore, aut cinereae; animi deliquia; vapo-

res fugaces ; capitis dolor ; globus ad fauces ; palpitationes cordis ; vertigines; tinnitus aurium ; somnus interruptus ; vigiliae; faciei pallor ; idearum perturbatio ; tristitia ; macies ; taedíum ; inertia ; languor ; halitus foetens ; tremores. Cum vero praecipuae dyspepsiae differentiae sint nidorosa , acida , rancida , videamus signa, quae has differentias explanant. Si itaque dyspepsia nidorosa sit , post aliquam horam ab alimentis sumptis emittuntur ructus , qui odorem ovorum putridorum habent ; stomachus tumet ; molestat anxietas , et ardor stomachi ipsius ; somnus abruptus ; os glutinosum , quod putridum habet saporem ; aversatio a carnibus , harumque jure ; acidorum appetentia. Cum dyspepsia acida sit , saliva etiam acescit ; si quid a ventriculo erumpat , habet saporem acerbum , uritque fauces ; ardoris sensus in ventriculo. Cum tandem sit rancida , oritur ab alimentis pinguibus , et lacteis ; erumpunt ructus , qui corrupti butyri saporem habent.

§. 1972. Caussa proxima dyspepsiae est status morbosus ventriculi, qui promptam, et absolutam alimentorum coctionem impedit; aut spontaneam degenerationem illorum non impedit. Sed hic morbosus status in quo consistat, expeditum non est definire. Nostris temporibus omnes consentiunt physiologi, mutationem quam alimenta in ventriculo patiuntur, esse vitale foenomenon, ad quod perficiendum tres potissimum conditiones concurrunt. Etenim ventriculus majorem ac alia viscera vasorum sanguineorum copiam recipit, ut chymificationis tempore succus gastricus ubertim a sanguine separetur: ventriculus, qui eodem chymificationis tempore ob subsequentes contractiones motu fluctuanti movetur; et hic motus illi arteriarum, et respirationis adjungitur: ventriculus omnino servans calorem, qui ut pernecessarius est ad perficiendas chemicas mutationes corporum, sic ad illas, quae cum vita relationem habent. Hujusmodi conditiones extra viventem ventriculum non eundem producunt effectum. Ergo ad adimplendam

chymificationem pernecessaria est vitalis proprietas, seu vitae influxus. Dum igitur expositae conditiones vel extenuantur, vel deficiant, difficilis est alimentorum digestio, aut penitus fieri non potest. Quamobrem proni sunt ad dyspepsiam debiles, desidiosi, languescentes, studiis literisque dediti, hypochondriaci, hystericae, agitati animi affectibus, praesertim tristitia. Excitantes vero caussae sunt prava alimentorum qualitas, horumque nimia quantitas, bonae etiam praeparationis defectus; languor ventriculi, ejusque nervorum; abusus vini, spirituum, aromatum, embammatum, rerum pinguium et oleosarum, lactis, potionum calidarum; socordia; assiduum doctrinarum studium; immoderata venus; mastrupatio. Non raro aggreditur dyspepsia, quia nulla habetur ratio hominum temperamento, aetati, consuetudini, varioque vivendi modo. Etenim digestio alimentorum est plus minusque expedita et absoluta non solum propter illorum naturam, et praeparationem, verum etiam propter dissimilem constitutionem corpo-

ris, aetatem, statum et conditiones organorum, et morales qualitates. Plures sunt fortunati homines, qui prompte et perfecte concoquunt alimenta, quaevis ipsa sint, eorumque ventriculus ad novam digestionem cito disponitur. Hujusmodi felicitas non modo in adolescentibus, et juvenibus, sed saepe etiam in hominibus provectae aetatis observatur. Sunt etiam convalescentes qui post graves diuturnosque morbos, post longam scilicet temperantiam a cibo, maxima aviditate expetunt, perfecteque digerunt alimenta, donec reparentur jacturae, et vires corporis restaurentur. In hominibus vero, quamvis bona valetudine praeditis, non aequales sunt stomachi vires, hujusque proprietates, plures et dantur idiosyncrasiae, quod a medicis diligenter expendendum est, ut apta seligantur alimenta, et debita horum statuatur quantitas. Si enim conveniens quoad qualitatem et quantitatem sit nutrimentum, non opprimitur ventriculus, facilis est digestio, corpus bene se habet, libera et aequalis est insensibilis perspiratio, omnes functio-

nes secundum naturae leges persolvuntur: si contra quoad cibum committantur errores, indubium est quin perturbetur chymificatio, proindeque aut propere, aut progressu temporis consequitur inappetentia, nausea, vomitus, languor, et alia pathemata, quae interdum discrimine non carent. In nostro vero aevo admodum vituperanda est intemperantia in quibusdam medicamentis adhibendis, unde maxime pervertitur digestio, ut sunt immodicae sanguinis missiones; frequentes purgationes; calida balnea; clysteres; narcotica; etc. Necesse igitur est, ut omnia haec animadvertantur, ut ab hominibus, quorum salus nobis committitur, dyspepsiam, interdum insidiosam, subducamus.

§. 1973. Modo facile dyspepsia domatur; modo pertinaciter resistit, et tandem mortem advehit. Oportet igitur ut observemus ejus originem, diuturnitatem, symptomata. Si ab abusu alicujus substantiae vel alimentariae vel medicamentosae nascatur, statim ac haec relinquatur, dyspepsia vincitur, dummodo nimia ventri-

culi atonia non sit consequuta. Curationi vero dyspepsia reluctatur, si ejus caussa gravis sit, nec sine difficultate possit evehi, ut est summus ventriculi languor, ejusque nervorum. Ab hac rebelli dyspepsia plures oriri possunt cachexiae, ut scorbutus, phthisis, viscerum abdominalium obstructiones. Si morbus sit recens expeditius quam inveteratus submittitur, praecipue si corpus atonia non laboret, nec pravam dispositionem habeat. Symptomata autem aut bona sunt, aut molesta, aut periculosa, et lethalia. Ad prima pertinet aliquando vomitus, a quo non solum exoneratur ventriculus ab aliqua impuritate, verum etiam hujus visceris resolvuntur spasmi; diarrhoea, post quam saepissime dyspepsia cessat; crebra flatuum expulsio, qua cognoscitur aperiri ventriculi orificia, ex quibus clausis frequenter excitantur dolores, et spasmi; somni tranquillitas, ex qua mirum in modum dejectae corporis vires reficiuntur: ad secunda, flatus; nausea; et dispositio ad vomitum, et vomitus ipse; capitis dolores; colicae; spasmi: ad

tertia, maxima virium debilitas; somni defectus; pulsus exigui; sudores frigidi; anxietas; hydrops; aliaque apoplectica symptomata.

§. 1974. In curatione dyspepsiae statuenda, prae oculis habeantur caussae, illiusque differentiae. Hic morbus ut plurimum nascitur a debilitate ventriculi. Si haec sit caussa, persaepe utilia sunt amara, tonica, roborantia, stomachica, ut cortex peruvianus, cascarilla, valeriana sylvestris, serpentaria virginiana, quassia amara, abrotanum, marrubium, vinum stomachicum, aquae acidulae, ferrum, ejusque praeparata, balnea mineralia, stillicidia, temperatus corporis labor, itinera, navigationes. Saepe vero remedia varianda sunt, vel quia irrita eveniunt, vel quia adest complicatio caussarum, vel diversorum temperamentorum ratione. Quapropter locum habere possunt eccoprotica, sed in temperamentis calidis salia media; pulpa tamarindorum, cassiae; manna; in frigidis rhabarbarum, aloe, sapo venetus: emetica, cum scilicet in ventriculo praeva-

leat bilis, vel materies muccosa. Si autem dyspepsia proveniat a debilitate, et irregularitate nervorum, ut non raro evenit, cum tonicis antispasmodica conferunt, ut infusiones chamomillae, extractum radicis valerianae sylvestris, gentianae, potiones niveae. Si dyspepsia sit nidorosa, et rancida, juvat abstinentia a carnibus, piscibus, substantiis pinguibus, ovis; sed legendus est potius victus vegetabilis, et acescentia, et vinum acidulum: si contra dyspepsia acida sit, concedantur carnes, pisces, aqueae potiones. In omnibus vero casibus maxima diligentia seligantur alimenta, quae fugienda semper sunt, si sint naturae aegrotantium adversa, et ab ipsis concoqui nullo modo possint.

GENUS VIGESIMUMOCTAVUM

Polydipsia

§. 1975. Polydipsia est ingens desiderium bibendi, ut nomen indicat ex duabus graecis vocibus compositum, quae sunt πολὺς, multus, et δίψα, sitis. Sic valde siticulosus graece dicitur πολυδίψιος. Sitis in statu sano est necessitas bibendi, cum multum per insensibilem perspirationem, aliasque secretiones deperditum sit; cum scilicet oportet diluere et solvere alimenta, quo facilius digerantur. Sed in statu morboso interdum maxima est, et non naturalis bibendi necessitas, quae excitatur a caussis, quae nos extra mensam, et omni temporis momento bibere cogunt, quaeque constituit polydipsiam. Haec raro primaria est, et saepenumero aliorum morborum symptoma sive acutorum sive chronicorum, plus vel minus spectabile. Sunt sani homines qui parum bibunt, alii multum; quod vel a corporis constitutioni-

bus, vel a dispositione organorum, vel a consuetudine dependet. Etenim sunt qui extra mensam, et sine ulla necessitate plures aquae cyathos hauriunt, et ita paullatim saepe urget bibendi necessitas, unde digestio laeditur, aliaque proficiscuntur incommoda. Quare parentes et nutrices immerito obstringunt pueros affatim bibere ante quam recubent, ne noctu se expergefaciant, sitiantque. Ex hac prava consuetudine pallescunt; intumescit abdomen; ventriculi vires infirmantur.

§. 1976. Constituentia symptomata polydipsiae primariae sunt vehemens desiderium bibendi; fugax levamen a potionibus, quia citissime intensior et asperior redit sitis; magna oris, et faucium ariditas; nulla in edendo voluptas; somnus praepeditur; debilitas augetur in dies; urinae parcius redduntur; inflatur abdomen; suscitatur febris, quae postea habitualis fit, consequiturque macies. Inter polydipsia laborantes sunt qui non aquam haurire, sed vinum, spirituososque liquores ardenter desiderant. In hisce alia occur-

runt observanda symptomata, ut ardor ventriculi; membrorum tremores; laesio facultatum intellectualium; convulsiones; halitus valde foetidus; corporis consumptio. Polydipsia est saepe symptoma febrium ardentium, biliosarum; hydropis; diabetis; lienteriae; dysenteriae; diarrhoeae biliosae; ephidrosis; et tum horum morborum deprehenduntur signa. In febribus ardentibus et biliosis praeter maximum fervorem vexat oris siccitas, et sitis inexplebilis; siquidem ubi deperditur aqueus humor, premit bibendi necessitas, ut diluatur sanguis, et mitigetur fervor. In hydrope, aut ascites sit, aut hydrothorax, continua molestat sitis; oris siccitas; parcissime urina fit; et observantur oedemata. In diabete praeter urinae profluvium, vel quoad quantitatem, vel quoad qualitatem peccantis, torquet inexpleta sitis; halitus graveolentia; sensus internus mordacis caloris; ventriculi ardor; etc. In lienteria dum sine dolore cito egeruntur alimenta, sitis est continua et ardens. In dysenteria praeter dejectiones muccosas et cruentas,

tormina, tenesmum, lassitudinem, cutis ariditatem, sitis est ingens. In diarrhoea biliosa cum magna siti adest nausea, oris amarities et siccitas, anorexia, dejectiones biliosae, anima foetida, color ictericus faciei et oculorum. In ephidrosi sive activa, sive passiva, praeter profusos sudores, aliaque symptomata, non deficit multa sitis. Sic de aliis morbis dicendum est.

§. 1977. In statu salutis caussa sitis est penuria partium serosarum sanguinis. Nos enim necessitatem bibendi sentimus, cum opus sit jacturas reparare, quas per insensibilem perspirationem, variasque secretiones subimus; et cum diluere debeamus alimenta. In statu vero morboso, si attento animo perpendatur, quomodo temperetur sitis ardor, intelligitur illius caussam modo esse atoniam, modo corporis vigorem. Idcirco si quis ad explicandam morbosam sitim aliquod sectetur systema, et se ipsum, et alios decipiet. Browniani dicunt ut plurimum sitim esse asthenicam; furiosi sectatores hodierni systematis esse hypersthenicam. Tanta autem est

horum vecordia, ut in omni hydrope et in cachexiis a diathesi hypersthenica sitim esse productam affirment. Sed respondeant quaeso, cur in his morbis, ut plurimum a languore natis, actione remediorum deprimentium augetur sitis? cur in illis qui actione solis multum sudorem emiserunt, magis aqua cum vino, et vinum ipsum compescit sitim, cum stimuli diathesis esse deberet? Sed linquamus hujusmodi systematicorum deliramenta, et ratione et experientia ducti dicamus, morbosam sitim modo a vigore modo a languore corporis pendere. Plures ideo esse possunt, qui modo ad unam modo ad aliam sitim componuntur, quod praesertim a temperamento, a dispositione viscerum, a qualitate humorum, potissimum salivae, succi gastrici, bilis exponitur. Etiam plures sunt caussae occasionales, nimirum clima nimis calidum; siccum flamen ventorum; alimenta calefacentia, et nimio sale aspersa; abusus quorundam remediorum, ut purgantium, emeticorum, aromaticorum, diaphoreticorum; perductae

vigiliae; exercitationes corporis multum laboriosae; praepostera large bibendi sive aquam, sive vinum, sive liquores spirituosos consuetudo; devorata venena, aut introducta, ut illud a morsu serpentis dipsadis; applicatio vesicantium, ut observavit Baglivi de usu vesicantium Cap. 2. Vesicantia vero si recte applicentur, raro dysuriam, rarissime polydipsiam excitant. Applicationi vesicantium supervenit sitis cum ariditate linguae, si non solum fiat vesicantium abusus, verum etiam haec admoveantur, ubi admoveri non debent, scilicet ubi potius amovenda, quam adhibenda sunt stimulantia. In morbis autem producitur saepe ardens et inexpleta sitis propter diversam eorum naturam, variaque comitantia symptomata. In febribus, maxime ardentibus et biliosis producitur sitis a nimia siccitate, a fervore, a depravatione humorum; a copiosa perspiratione insensibili, unde aqueus sanguinis humor magna copia disperditur. Jactura fit ejusdem humoris in cursu lienteriae, dysenteriae, diarrhoeae, ephidrosis, ptyalismi,

etc. In hydrope aqueus humor in varias corporis cavitates diffunditur. In ischuria autem quia urina immiscetur sanguini, oritur sitis inexstinguibilis.

§. 1978. Polydipsia est semper molesta affectio, interdum periculosa. Est molesta quia sitis citius est intolerabilis quam fames, et caetera vincit tormenta. Observatio vero symptomatum satis est, ut nos tuto praevideamus exitum vel faustum, vel infaustum. Interdum enim symptomata levia sunt, sensimque morbus imminuitur, scilicet non gravis est languor; separantur, et redduntur urinae; non interrumpitur somni quies: interdum acerbiora sunt, ut maxima virium dejectio; laesio facultatum intellectualium; convulsiones; ascites; corporis consumptio. Si vero polydipsia symptomatica sit, indicat potius morborum primariorum finem. Si enim in febribus sitis et imminuitur, et cessat, dum etiam desunt gravia symptomata, ut est delirium, et pulsus evadit minus frequens, febrium ipsarum diminutionem demonstrat. In febribus ardentibus, quamvis fla-

grantissima sit sitis, si aeger large bibat, a potione retrahatur levamen, haec sitis nullo modo damnanda est. Contra in nonnullis morbis, ut in alvi fluxibus, sitis ardens, et linguae ariditas, est sinistrum signum, quia maximam esse partium aquearum sanguinis deperditionem retegit. In aliis morbis, ut in perfecta ischuria, sitis aestuans, est flebile argumentum, ex quo intelligimus, urinam una cum sanguine circumagi. Tandem si in acutis morbis sine ratione quiescat sitis, eodemque tempore alia symptomata graviora fiant, et lingua sit nigra, est exitiale indicium, quod majorem esse morbi gravitatem, et extinctam sensibilitatem patefacit. Inquit Hippocr. I. praedictorum VII. n.° 7. ≕ Δίψα παραλόγως λυθεῖσα ἐν ὀξέσι, κακον Sitis praeter rationem in acutis morbis soluta, mala est. ≕

§. 1979. Generalia ad polydipsiam remedia sunt diluentia, subacida, potiones nitrosae, edulcorantia; ideoque saepe satis est aqua purissima fontis simplex aut cum nitro, aut cum succo malorum me-

dicorum ; serum depuratum ; decoctiones hordei ; emulsiones seminum melonum, vel cucurbitarum; dulces fructus. Dum vero concedendae sunt potiones, his nunquam abuti debemus. Si enim intemperantes sint, gravant et distendunt ventriculum, ejusque vim enervant contractilem. Merito igitur animadvertit Alibert, quantitatem liquidorum ad flagrantis sitis compescenda symptomata variandam esse secundum habitudinem, clima, vitae genus, temperamenta. Verum in eligendis remediis, et potionibus, nunquam disquisitio caussarum omittenda est, an nimirum oriatur ab aliquo animi pathemate ; a qualitate alimentorum ; a prava bibendi consuetudine ; etc. Ut autem leniantur incommoda, quae nimia oris ariditas affert, detur aliquod cochlear haustus salini ; et identidem subacidi fructus exsugere. Alimentum tenue, et fluidum sit. Animadvertendum vero est, quod, si nec remedia, nec potiones ad compescendam sitim, et subigendum morbum juverint, utilia esse possunt balnea tepida. Genera-

lis enim fluidorum absorptio magis quam alia remedia efficax esse potest. Observavit citatus Alibert polydipsiam validioribus remediis nequicquam curatam, reiterato usu tepidorum balneorum penitus emendatam. Si vero polydipsia symptomatica sit, praecipue conveniunt in primarios morbos medicamina. In febres igitur biliosas, et ardentes prosunt potiones acidae, ut aqua cum acidis vegetabilibus, aut mineralibus; emulsiones seminum frigidorum; decoctio hordei; mala medica, aut aurea, aut punica. Interdum vero potius egelida, quam frigida porrigenda sunt, ubi scilicet diluere salivam, et sanguinem necesse est, et tum aqua, fotus, vapor, gargarisma tepidum est praecipiendum. In hydrope autem neganda omnino potio non est, ut nonnulli credunt, sed pro parco potu dari possunt decoctiones aperientes, praesertim ex radice graminis, acetosae, eryngii campestris; et ut sitis mulceatur, in ore fructus acidi teneantur, et rob cerasorum, cydoniorum, etc. Ad diabetem plura ab auctoribus laudantur, ut aqua calcis cum

lacte; aqua calcis simplex; diaeta lactea; serum lactis acidulatum; serum aluminosum; etc. Ad scorbutum acida vegetabilia, et mineralia; lac; cortex peruvianus; et caetera antiscorbutica. Eadem ratione in curatione aliorum morborum procedere debemus.

GENUS VIGESIMUMNONUM

Adipsia

§. 1980. Adipsia est imminuta, aut sublata sitis; ideo ille qui non sitit, graece dicitur ἄδιψος. Hic morbus non est frequens, et potius mulieres quam homines afficit, propter illarum temperamentum lymphaticum, et quia frequentius substantiis nutriuntur, quae aqueos humores continent. Narrant scriptores, fuisse mulieres, quae diu vixerunt, optima gavisae valetudine, quin bibisssent. Maxima verisimilitudine dicendum est, ingens in istis mulieribus fuisse pancreas, quodque abunde hu-

morem pancreaticum secrevisse, qui defectum potionum suppleret. Ut plurimum vero in adipsia, ubi omnino deficit sitis, laeditur sanitas. Haec affectio vel primaria, vel symptomatica est. Prima perrara est. Quisquis enim in exercenda praxi invenit qui parum bibit, sed raro qui penitus potiones refugit. Nihilominus Sauvages Tom. I. pag. 770. has duas observationes refert. = Meritissimus Tolosanae socius D. M. . . . . vir morum suavitate, ingenii cultura, eruditione eximius, nunquam sitit, et menses integros a potu abstinet, etiam aestate fervente. Novi olim mulierem, quae quadragesimali temporis intervallo omnino a potu abstinebat sitis defectu: ea tamen erat temperamento vivido, ad iram prono, praedita. = Credidit Alibert, se in quadam puella adipsiam observasse, quae vero talis non mihi fuisse videtur. In illa enim post affligentia animi pathemata, cum comparuerit stupor facultatum cerebralium, per plures menses observata fuit perfecta immobilitas. Eam etiam vexabat in oesophago spasmodica, et

doleus constrictio, quae deglutitionem liquidorum impediebat; dum solida alimenta retinebantur. In hac igitur historia non apparet defuisse sitim. Frequentior autem est adipsia symptomatica, quae non solum interdum in chronicis morbis, ut saepe soporosi sunt, deprehenditur, sed etiam in acutissimis, ut pleuritis, et peripneumonia est.

§. 1981. Sub defectu potionum digestio alimentorum nec facilis esse potest, nec absoluta, praesertim si alimenta arida sint, et sicca. Cibi enim qui continent aquosum succum possunt aliquo modo extinguere sitim. Laudatus Alibert loquitur de homine, qui cruda carne nutriebatur, dum rarissime bibebat; et jure autumat, sanguinem, quo imbuebatur caro, ad flectendam sitim suffecisse. Dum autem turbatur digestio, offenditur nutritio corporis, unde corpus ipsum paullatim consumitur, et facies pallescit; comprimitur alvus; torquent dolores abdominis, et capitis gravitas; imminuuntur, vel plane consistitunt separationes, potissimum salivae, urinae,

insensibilis perspirationis propter partium aquearum sanguinis penuriam ; crescit in dies pallor faciei, quamvis observant practici, interdum et naturalem colorem, et corporis vires conservari.

§. 1982. Caussa proxima adipsiae est defectio molesti sensus, qui ad bibendum impellit. Ad hanc affectionem disponit temperamentum lymphaticum , et frigidum ; mollities fibrarum muscularium ; particularis corporis constitutio; clima humidum, et palustre. Interdum vero etiam alia temperamenta ad adipsiam propendet, ut ab historiis auctorum deducitur. Ego etiam cognovi hominem temperamento plethorico praeditum , qui defectu sitis, sed non in totum laborabat. Caussae autem excitantes sunt prava habitudo parum aut nihil bibendi ; illa animi pathemata , quae tam infirmant nerveum systema , ut non amplius molestus sentiatur sensus sitis. Adipsia symptomatica, ut diximus , oritur a morbis vel acutis, vel chronicis, praesertim ab illis soporosis , et nervosis. Obser-

vavi catalepticam mulierem per plures dies prorsus a potione abstinere.

§. 1983. Subjicitur primaria adipsia, si nascitur a caussis, quae extrudi possint, ut est prava habitudo nunquam aut raro potionibus placandi sitim; non edomatur, si caussae graves sint, et male nervorum systema affecerunt, ut sunt quaedam animi pathemata. Symptomatica ut plurimum laeva est quippe quae magnam esse cerebri, et nervorum laesionem denotat. In morbis acutis, in quibus propter fervorem et siccitatem esse deberet sitis, si haec deficiat, instantis delirii signum est. Tamen in inflammationibus pectoris defectus sitis interdum bonum offert signum; dum scilicet a tussi lingua madefit. Inquit Hippocr. Coac. praenot. III. 156. = Ἔστι δὲ ἀγαθὸν μὲν καὶ τȣ́τοισι καὶ πᾶσι τοῖσι, περὶ πλεύμονα, φέρειν ῥηϊδίως τὸ νȣ́σημα, τῆς ὀδύνης ἀπολλάχθαι, τὸ πτύαλον ἐυπετέως ἀνάγειν, ἔυπνοον ἐιναι, καὶ ἄδιψον τὸ σῶμα ἅπαν ὁμαλῶς θερμεναίσθαι, καὶ μαλθακὸν ἐιναι· Bonum vero est et in his et in omnibus circa pulmonem mor-

bis, facile ferre morbum, a dolore liberatum esse sputum facile educere, bene spirare, et sine siti esse, et totum corpus aequaliter calescere, ac molle esse. = In morbis autem chronicis adipsia eorum pervicaciam, et diuturnitatem praenuntiat.

§. 1984. Ut curetur adipsia, abducenda est ejus caussa, et dirigendum diaeteticum regimen. In primis itaque emendanda est prava habitudo parum aut nihil bibendi; custodienda animi quies; non negligenda aliqua corporis exercitatio, ut ambulatio, equitatio, venatio, itinera, rusticatio; alimenta talia sint quae temperamentum corrigant magis ad adipsiam proclive, ut lymphaticum, et frigidum, eodemque tempore excitent sitim, ut sunt assatae carnes, aliaeque siccae substantiae. Si vero adipsia symptomatica sit, curatio respicit praesertim primarium morbum; sed semper juvat ad bibendum aegrotantes suadere. Quamvis enim in inflammationibus pectoris interdum deest sitis, quia, ut animadvertimus, a concussione tussis os madefit, nihilominus semper confert

quod saepe aegrotantes bibant. Sic dicendum est, et faciendum, si in aliis morbis deficiat sitis, ut saepe evenit, ubi molestat tussis.

GENUS TRIGESIMUM

Colica

§. 1985. Intestina, quae sunt inter sensibiliora humani corporis viscera, tubum constituunt satis longum et dissimilis latitudinis, a pyloro cui circumnectitur ad anum extensum. Propter hanc tantam sensibilitatem obnoxia sunt doloribus, qui vulgo appellantur colici, et ab Hippocrate iliaci vocabantur- Transactis temporibus hujusmodi dolores distincti sunt in colicos et iliacos, secundum sedem quam occupant. Qui vero potest hanc sedem praefinire, si haec tam varia, ut et intestinorum positio? Quapropter decreverunt practici, intestinorum dolores vocari colicos, eo magis quia colon est illorum frequen-

tior sedes. Ob eandem rationem cognoscere non possumus cum dolores in mesenterio consideant, et mesentericae colicae nomen mereantur. In quavis igitur parte intestinorum dolores resideant, unum constituunt morbum, cuivis aetati, sexui, temperamento, climati, anni tempestati communem, sed solum propter dissimiles caussas, variosque acerbitatis gradus diversum.

§. 1986. Colica dividitur in primariam, quae a recentioribus subdistinguitur in hypersthenicam et hyposthenicam, symptomaticam, secundariam, consensualem, accidentalem, endemicam, et epidemicam. Colica primaria nascitur a pluribus caussis, et ab hisce nomen accipit. Dicitur igitur colica stercoralis, quae oritur a stercore; flatulenta, a flatibus; biliosa, a bile; sanguinea, a sanguine; etc. Etiam symptomatica, et secundaria recipit nomen a morbis, ex quibus habet originem. Appellatur colica verminosa, quae suscitatur a vermibus; calculosa, a calculis; scorbutica, a scorbuto; podagrica, a po-

dagra ; rheumatica, a rheumate; hysterica, et hypochondriaca, ab affectione hysterica, vel hypochondriaca; etc. Colica autem consensualis est illa quae producitur a consensu partium. Accidentalis est, cujus caussae fortuitae sunt, ut nimia assumpta alimenta, aut esus alicujus substantiae, quae digeri non potest. Endemica et epidemica nascitur a caussis vel localibus vel communibus, ut a pravis alimentis ; maxima aëris inconstantia ; anni tempestatum irregularitate.

§. 1987. Generica signa colicae, alia antecedentia, alia constituentia sunt. Non enim colicae dolor semper subitaneus est, sed huic saepe quaedam praecedunt symptomata, quae vere prodroma sunt, ut appetitus defectus, insolitus languor, sitis, vigilia, vomitus, alvi durities, praecordiorum pondus, inflatio ventris, interdum frequens necessitas dejiciendi faeces, sed praeparcae sunt dejectiones. Dum autem haec symptomata desunt, repente ventris dolor aggreditur. Hujusmodi dolor, quamvis non certe indicat morbi sedem,

tamen observandum est locum, ubi praecipue vexat. Modo continuus est, modo redit ad intervalla; modo occupat solum abdominis partem, modo universum abdomen. Si dolor haereat circa ventriculum, videtur affici jejunum et ileum; si ad dorsum, et dextrorsum, duodenum aut initium jejuni; si incipiat ab inguine dextero, et procedat ad hypochondrium, et mox feratur ad hypochondrium sinistrum, et tandem descendat quo colon finem habet in rectum, colon ipsum. Pulsus sunt admodum varii, nimirum frequentes, tardi, irregulares, contracti, duri. Ut plurimum premunt alvi siccitas, vomitus, difficilis respiratio, anxietas, et venter contrahitur versus umbilicum; interdum vero umbilicus prominet; superveniunt dejectiones subvirides, luteae, aeruginosae; subinde comparet icterus; os est amarum; ructus nidorosi. Febris plerumque deest, sed interdum suscitatur, praesertim si corripiant tremores, spasmi, convulsiones, subsultus tendinum, singultus. Cum vero morbus in pejus abeat, augetur debi-

litas, frigent extrema, facies fit pallida, saepe supprimitur urina, erumpit viscosus sudor, superveniunt animi deliquia. Ex hac generica enumeratione symptomatum perspicue patet, ut colica differat ab enteritide. In illa enim abest febris, et ubi deprehenditur, post dolorum tormenta commovetur; sed in enteritide accenditur febris ante dolores, aliaque intestinalia symptomata. In colica praeterea vexant spasmodicae abdominis constrictiones, et si comprimatur abdomen, imminuitur dolor.

§. 1988. Colicae caussa proxima est spasmodica intestinorum constrictio, propter quam alia intestinorum portio restringitur, dum alia dilatatur. Praedisponunt ad colicam temperamentum sanguineum, biliosum, nervosum; vita sedentaria; exercitatio quarundam artium, praesertim illarum, quae actioni exalationum metallicarum exponunt. Caussae vero excitantes sunt flatus qui clauduntur; bilis copiosa, et acris; pituita; cumulatae, et durae faeces; extranea corpora; repressa insensibilis perspiratio; cohibitus haemorrhoi-

dalis fluxus, et ille menstruorum; qualitas alimentorum, et potionum; intemperantia veneris, aut exercita venus horis minus convenientibus, maxime post sumptum alimentum; perfrigeratio pedum; venena; exhalationes metallicae; acidi succi vegetabiles; immaturi fructus; etc. Colica autem symptomatica, aut secundaria a plurimis morbis, ut diximus, oritur, ut ab inflammatione; vermibus; calculis; vitiis viscerum, et vasorum; a diathesi herpetica, rheumatica, podagrica, scorbutica, etc.

§. 1989. Colica est morbus alea plenus, et non raro lethalis. Subinde brevis est, subinde contumax. Generatim vero quo violentior, eo brevior. Cum ejus caussae sint summae efficacitatis, ut venena, et conformationis vitia, non effugitur mors. Interdum plura funesta circumveniunt symptomata, ut assidua vigilia, ineluctabilis alvi durities; febris; improvisa doloris cessatio; singultus; pulsus parvus; sudores frigidi; meteorismus; maxima virium dejectio; frequentes animi defectus; frigus

extremitatum ; convulsiones ; epilepsia; inflammatio , quae saepe in gangraenam, et mortem abit. Notatu dignissima est brevis historia , quae a Morgagni refertur lib. III. de morbis ventris Epist. XXXV. 8. = N. Cupellinius colica laborans affectione, cum sedens emulsionem biberet , adstanti famulo , cape , inquit repente , cyathum porrigens quem manu tenebat , et hoc dicens, retrorsum cecidit mortuus. Corpore toto consecto , nihil aliud vitii repertum est , quam intestini coli inflammatio, quae ad nigredinem vergebat. = Contra sperandum est cum dolor remittat, et sedem mutet ; cum superetur alvi durities non sine levamine, et expellantur aër faecesque. Interdum vero colica largo sudore solvitur ; aut fluxibus sanguineis ; eruptione exanthematum , vel impetiginum; diarrhoea. Observant practici , in pertinaci colica, si superveniat copiosus et universalis sudor , resolutis viribus, brevi expectandam esse paresin : sic in colica atoniam , vocemque raucam esse signa convulsionum prodroma. Interdum colica tran-

sit in hydropem siccum, ut inquit Hippocr. aphor. 11. Sect. IV. = Quibus tormina et circa umbilicum dolores, et lumborum dolor est, qui neque purgante, neque aliter solvitur, in hydropem siccum firmatur. = Interdum dolores corripiunt artus cum copiosis et universalibus sudoribus, quod bonum est, si colica a materia arthritica, vel rheumatica proficiscatur.

§. 1990. Generalis colicarum curatio praecipue innititur observationi, et distinctioni diathesium, a quibus illae proveniunt. Si itaque oriantur a diathesi sthenica, aut hypersthenica, conveniunt sanguinis missiones generales, et locales; demulcentia; fomentationes, et clysteres emollientes; semicupia, et balnea tepida: si contra a diathesi asthenica, aut hyposthenica, sedandum caute, et incitandum est; ideoque conferunt aquae destillatae cerasorum nigrorum, foeniculi, chamomillae; liquor anodynus mineralis Hoffm; laudanum liquidum Sydenh; infusiones florum chamomillae, aut tiliae Europeae; clysteres, qui praesertim ex eadem cha-

momillae infusione parantur; fomentationes, semicupia, et balnea calida. Saepe vero praeter haec remedia juvant olea recentia ad emolliendum, et ad solvendam alvi duritiem, quae si oleis non superetur, ad alia efficaciora veniendum est, ut sunt rhabarbarum, alöe, aut mercurius dulcis. Sic linimenta super abdomen utilia sunt. Denique si dolores non desistant, confugere debemus ad opium, ejusque composita. Pro victu sufficiant jura. Haec vero generatim dicta sunt; idcirco veniamus ad species, et in primis de colica flatulenta loquamur.

§. 1991. Colica flatulenta producitur a collecto, et incluso aëre, qui admodum intestinorum tubum distendit. Cognoscitur a dolore modo fixo, modo errabundo; distensione ventris; ructibus, et borborygmis; dispositione ad vomitum; alvi duritie; difficili respiratione; anxietate; extremitatibus frigidis. Interdum tanta est ventris distensio, ut umbilicus protuberet; et in majore gravitate morbi urina supprimitur. Caussa proxima hujusce colicae est

coacervatio aëris in intestinorum tubo. Et quia ad hanc praeparat intestinorum languor, unde facile excitantur spasmi; ex his in aliqua illorum parte clauditur aër, qui ut plurimum partem superiorem occupat coli. Ab hac tanta aëris collectione, cum comprimatur diaphragma, nascitur suffocans aegrorum anxietas. Qui magis, et frequentius laborant colica flatulenta sunt senes, debiles, qui non bene digerunt alimenta, quia carent necessariis conditionibus ad alimentorum digestionem perficiendam, nimirum in ipsis nec saliva, nec succus gastricus, nec bilis, nec vitales vires bene se habent. Communiores excitantes caussae sunt alimenta, et potiones, quae nimium evolvunt elasticum aërem, ut legumina, fructus, olera, vinum non satis fermentatum, panis non satis coctus; pravae digestiones; defectus separationis salivae; fluxus bilis in duodenum interclusus. Haec colica interdum est levis, et fugax, nulloque negotio vincitur; scilicet vix obtinentur dejectiones alvinae, et expelluntur flatus. Aliquando etiam sponte solvitur et

alvi dejectionibus, et expulsione flatuum per inferiora, et subinde per superiora. Inquit Alibert, se vidisse hominem, qui propter dolorum acerbitatem per horae circiter spatium super pavimenti tapetum volutabatur, et qui nullum levamen percipiebat, nisi per os magnam flatuum quantitatem emitteret. Aliquando vero est pertinax, omnibusque obstat auxiliis; valde exasperantur symptomata, et inde metuenda est. Etenim maxima est anxietas; tenax alvi compressio, et ingens induratio faecum; urinarum suppressio; assidua proclivitas ad vomitum, unde, ut pluries vidi, transit in ileum, citoque lethalis est. Nonnunquam propter nimiam abdominis distensionem hernia umbilicalis consequitur. In cadaveribus semper aliquid in intestinis reperitur, praesertim maculae rubrae huc et illuc diffusae, et inflammationis vestigia, quae non caussa, sed sequela fuit morbi. Cum morbus sit levis, quod cognoscitur a caussis, symptomatibusque, saepe ad curationem satis sunt oleosae purgationes, clysteres emollientes et oleosi;

infusiones chamomillae; fomentationes calidae et emollientes abdominis; frictiones calidae oleosae. Si vero dolor sit vehemens, et maxima anxietas, a sanguinis missione incipiendum est. Eodem tempore aqua pulli calida, fomentationes calidae super abdomen, oleum amygdalarum dulcium sumatur; et emollientes clysteres fiant. Postquam remissus fuerit dolor, convenit aliqua purgatio levis. Ne vero deinde redeat morbus, adhibeatur studium in eligendis alimentis, et in puritate primarum viarum custodienda. Si autem colica flatulenta renitatur remediis, adnotabilisque sit virium dejectio, danda est infusio florum chamomillae, cui addantur aliquot guttae laudani liquidi Sydenhami; et identidem aliqua levi purgatione alvus mollienda est. Si insuper remaneat distensio ventris, interdum fuit utilis aqua frigida clysteribus immissa, et etiam super ventrem applicita.

§. 1992. Colica stercorea est quae producitur a cumulatis, induratisque faecibus, quae graece dicuntur scybala, *σκύβαλα*, et quae non sunt nisi sicciora excrementa

in nucleum fere configurata. Cognoscitur a dolore, qui est ubi plus faeces congeruntur; ut plurimum scilicet in colo, aut versus rectum; ab alvi compressione; gravitate, et repletione ventris; quibusdam prominentiis, quae praecipue observantur in macilentis et strigosis hominibus, ab ipsis faecibus congestis et induratis productae; nausea, et vomitu; aëre, qui cum circumire non possit, ad stomachum convertitur. Caussa proxima hujusce colicae est ipsa congestio faecum, ad quam torpor et inertia intestinorum dirigit. Ad hanc ergo propensi sunt qui vitam vivunt sedentariam; qui nutriuntur siccis et aridis alimentis; illi etiam in quibus non facile bilis profluit in duodenum; gravidae mulieres; homines hypochondriaci. Caussae quae hanc colicam excitant, sunt diaetae errores. Etenim homines qui valde edunt, et etiam alvi duritie laborant, saepius hoc morbo corripiuntur. Qui vitam sedentariam ducunt, et eodem tempore moerore afficiuntur, non raro eundem morbum patiuntur. Inquit Sauvages Tom. II. pag. 101.

≍ . Hanc aliquoties vidi apud mulieres, quae per vim in quibusdam monasteriis refugiis dictis detinentur, ob moerorem, et vitam sedentariam. ≍ Etiam qui exiguam, aut inertem, aut non fluentem bilem habent, maxime si aetas provecta sit, hac colica deprehenduntur. Haec inter alias colicas dolores magis affert, sed ut plurimum faecum egestione feliciter absolvitur. Tota curatio continetur exhibitione oleorum, ut illud seminum ricini, vel amygdalarum dulcium; fomentationibus, et clysteribus emollientibus; unctionibus oleosis; semicupiis, balneisque. Ad hanc colicam referri potest quae meconialis dicitur, utpote a congesto meconio producta. Haec distinguitur a fletu; vomitu; singultu; somno repente interrupto; excrementis, quae eo magis virescunt, quo magis augetur morbus. Etiam haec colica curatur oleis, praesertim illo amygdalarum dulcium cum syrupo simplici, quod identidem exhibetur; clysteribus emollientibus, et unctionibus oleosis super abdomen. Ad colicam quoque stercoream illa lactentium spectat, quae

post aliquem mensem ab ortu contingit, a crassiore et acescente lacte profecta. Haec se se ostendit fletu; ventris tensione; excrementis viridibus, et vomitu. Ad hanc remedia sunt oleum amygdalarum dulcium; syrupus cichorei cum rhabarbaro; clysteres emollientes, et fomentationes; unctiones oleosae; semicupia, aut balnea calida.

§. 1993. Colica biliosa ab humoribus biliosis editur, qui cumulantur in intestinis, maxime duodeno eaque lacessunt. Cognoscitur ab atroci dolore, qui persaepe inter initia palans, mox consistit, et fere terebrat; aut hujusmodi acerbus dolor est in ventriculo, et cardialgiam constituit. Praeter autem dolorem symptomata sunt oris amarities; appetitus defectus, quin alimentorum fastidium, quod graece dicitur cacositia, κακοσιτία; sitis ingens, singultus; abdominis tensio, quae vero tanta non est ut in enteritide; frequentes ructus; vomitus bilis acris, et subviridis; dejectiones biliosae; internus calor, qui interdum urit, sed nunquam pervenit ad fervorem,

qui enteritidis proprius est; urinae sunt paucae, et saepissimae rubrae; raucedo, et aphonia. Nonnunquam in initio morbi deprehenditur febris, quae vero fugax est. Symptomata, potissimum dolor, interdum cito mitescunt, sed rursus exacerbantur, acceditque anxietas ingens, et vultus teter. Frequentior doloris sedes est in intestinis tenuibus, et interdum in ventriculo. Caussa proxima hujusce morbi est ipsorum intestinorum irritatio, quae a collecta et acri bile producitur. Ordinat ad hanc colicam anni tempus, ut aestas; aetas, ut adolescentia; temperamentum, ut biliosum, sanguineo-biliosum, melancholicum. Excitantes vero caussae sunt animi pathemata, praesertim ira; abusus vini, et liquorum spirituosorum; exercitationes corporis violentae, praesertim aestivo fervente tempore. Haec colica affert periculum; siquidem si vomitus vehementes, et dejectiones biliosae persistant in choleram abire potest; si vero suscitetur febris, quae fugax non sit, et augeatur, eodemque tempore tendatur, et ferveat abdomen, in enteritidem

vertitur. Interdum vero resolvitur; nimirum ubi non gravia sunt symptomata, et aurigo et diarrhoea biliosa comparet. Ad hanc curandam colicam necesse est, ut mitigetur, et evacuetur bilis, et molliantur dolores. Idcirco exhibendum est oleum seminum ricini, et ad bibendum peropportuna est aqua pulli nitrata, acidula; fiant fomenta emollientia; injiciantur emollientes clysteres ex decoctione malvae, althaeae, seminum lini. Si bilis extet in ventriculo, quod praesertim noscitur a nausea, desiderio vomendi, et nisu, qui ad ejiciendam bilem non sufficit, hic nisus vel aqua simplici tepida, vel aqua tepida cum oleo, vel aliquot granis ipecacuanhae incitandus est. Dum autem dolores pergant, praecipiantur semicupia et balnea, et repetatur aliqua purgatio levis, ut decoctio cassiae; et si hisce praesidiis dolores perseverent, detur aliqua gutta laudani liquidi Sydenh. in cochleare aquae lactucae. Si vero in initio morbi dolores vehementer excrucient, et fixi haereant, si aegri adolescentes sint et juvenes, et temperamentum

plethoricum, curatio a sanguinis missione incipienda est.

§. 1994. Colica pituitosa nascitur ab humoribus pituitosis et crassis, quibus intestina inferciuntur. Dolor hujusce colicae est magis fixus et perforans quam in aliis colicis, cujus sedes plerumque est in hypochondrio sinistro ad intestini colli curvaturam. Hujusmodi dolor est stabilis et perforans ob nimiam distentionem, quam affert cumulata pituita, et ob flatus retentos, et expansos. Praeter autem dolorem in parte praecipue affecta, adest sensus ponderis, et adstringitur alvus. Caussa hujus morbi proxima est dolens intestinorum crassorum distentio a collectione humorum viscosorum et crassorum producta. Caussa praedisponens in temperamento laxo et lymphatico, et in desidiosa vita invenitur. Frequentiores excitantes caussae sunt alimenta crassa, tenacia, viscosa, muccosa; nullus vini usus; potio aquae pravae. Haec colica interdum est pertinax; sed plerumque recta curatione solvitur. Curatur mitioribus purgantibus; fomentis, et clysteribus emol-

lientibus; semicupiis, et balneis. Pernecessaria praeterea est curatio prophylactica, praesertim in illis, qui hac colica magis laborant. Idcirco, amotis caussis, identidem porrigenda est aliqua purgatio, ut cremor tartari, sal anglicanum, etc; aliqua decotio leviter resolvens, ut ex radice scorzanerae, sarsae parillae, aut ex foliis scabiosae, cui addi potest nitrum.

§. 1995. Colica sanguinea oritur a vasorum sanguineorum plenitudine. Igitur ubi nimis augetur sanguinis quantitas, potest haec colica excitari, maxime si abundantia, et exstimulantia sint alimenta. Cognoscitur a generalibus plethorae signis; a natura caussarum; a dolore qui saepe in aliqua parte figitur; a pulsibus duris, et tensis; a fervido corporis calore. Quoniam haec colica ut plurimum nascitur ab aliquo intercluso sanguinis cursu, habet diversa nomina, ut menstrualis, si deficiant menstrua; haemorrhoidalis, si retineatur haemorrhoidalis fluxus. Cum autem tam menstrualis, quam haemorrhoidalis frequentiores sint, videamus earum symptomata. Men-

strualis noscitur a dolore, qui incipit super umbilicum, et postea universum percurrit abdomen, et tandem haeret in lumborum, aut uteri regione; a tumore abdominis, qui vix aut ne vix quidem levem pressionem tolerat; ab urinis rubris. Haec colica saepe vexat puellas paullo ante pubertatem, cum ad menstruationem disponuntur; et etiam illas, quae non gaudent menstruorum regularitate. Colica autem haemorrhoidalis notatur sensu ardoris in crassis intestinis; doloribus lacerantibus; anxietate; ventris tensione; venarum haemorrhoidalium turgore. Saepissime corripit homines hypochondriacos. Colica sanguinea autem quaevis sit, si non sit levis, nec sollicite curetur, periculosa est, quia in illam colicam transit, quae a Nosologis dicitur phlogistica, aut inflammatoria, et ab enteritide non differt nisi gradu. In hac enim colica major fit abdominis tumor; major etiam est intolerantia pressionis, et si levissimae; ferventior calor; urget sitis; urinae difficile redduntur. Si autem haec augeantur symptomata, et transeat in en-

teritidem, hic transitus non solum deprehenditur a vehementia doloris; ab acuta febre; ab ardore totius corporis; ab ingenti siti, et arida lingua; a tumido, tenso, et calidissimo abdomine; ab alvo adstricta; sed etiam a pulsibus duris, contractis, et interdum, praesertim in inflammationis initio, parvis, spasticis, inaequalibus. Colica sanguinea menstrualis licet ut plurimum evanescat statim ac menstruatio comparet, aut cum ad ordinem restituatur, nihilominus etiam haec interdum periculosa esse potest, siquidem inflammationem producit. Etiam colica haemorrhoidalis plerumque solvitur cum profluat haemorrhoidalis sanguis, aut superveniat diarrhoea muccosa subcruenta. Curatio colicae sanguineae tota versatur, in imminuenda quantitate sanguinis, et in deliniendis symptomatibus. Conveniunt igitur sanguinis missiones generales et locales; diluentia; fomentationes, et clysteres emollientes; balnea pedum, semicupia, balnea universalia. Sed si haec colica dependeat ab aliquo retento fluxu, in primis hic est revocandus. Idcirco si na-

scatur ab imminenti catameniorum fluxu, et puella sit plethorica, fiat venae sectio, maxime pedis, ex qua expeditior certe redditur instans catameniorum fluxus. Si vero caussa sit irregularis, tardusque catameniorum cursus, expedit quidem sanguinis missio a pede; sed saepe magis juvat hirudinum applicatio partibus verendis. Etiam in istis casibus utilia sunt diluentia, aperientia, et nitratae potiones.

§. 1996. Colica spasmodica dicitur quae proficiscitur a spasmis. Vel primaria est, vel symptomatica, vel secundaria. Si sit primaria oriri potest a pluribus caussis; sed quia ut plurimum editur a caussis metallicis, vel vegetabilibus, dicitur colica spasmodica metallica, vel vegetabilis. Colica vero metallica quae producitur a plumbo, vocatur saturnina. Colica metallica habet sedem in intestinorum et mesenterii circuitu. Incipit sensu ponderis circa ventriculum, maxime circa superius orificium; deinde corripit dolor, qui e regione epigastrica descendens saepe circa umbilicum fixus manet; ructus, sitis, singultus, alvi

durities sed cum stimulo deponendi faeces; pulsus est parvus, frequens, contractus; saliva est dulcis, et fere caerulea; cutis frigida, et interdum viscoso sudore madida; virium languor; defectus appetitus; vacillant crura; si quid manducetur non concoquitur; non raro brevis et modica diarrhoea supervenit, quae utilis est. Cum vero colica fiat pertinax, magisque gravis, dolor tam est acerbus aut in ventriculo, aut in inferiore abdominis parte, ut perferri nequeat tactus; hinc magna est anxietas; nulla, aut pauca redditur stranguriosa urina; tam comprimitur alvus, ut immitti non possint clysteres, et si faeces egerantur, hae sunt durae, globosae, eaedem quae caprarum; musculi abdominis, et umbilicus introrsum contrahuntur; adest vomitus acrium substantiarum. In majore gravitate morbi nonnunquam elevatur pulsus; calefit cutis; urget capitis dolor, vertigines; sed dein aut supervenit stupor, aut coma, aut apoplexia, aut delirium ferox; pulsationes arteriarum inaequales fiunt, et intermittentes; artus contrahun-

tur ; si superveniat inflammatio , haec in gangraenam transilit. Plerumque post dolores , vomitum , singultum animi deliquia , contractiones artuum, post decimam quartam diem sequitur mors. Interdum vero manuum , aut pedum, aut utrorumque consequitur paresis , sive motus non sensus abolitio. Insuper modo icterus , modo asthma siccum , modo ventris fluxus; modo inter dolores epilepsia succedit. In hac colica non apparet quae intestinorum pars praecipue afficiatur ; nam sectiones cadaverum non aliud demonstrarunt , quam alterationes organicas esse graviores. Caussa proxima hujusce colicae est spasmus , qui esse potest plus vel minus gravis. Huic obnoxii sunt qui tractant plumbum , aliaque metalla , quorum exhalationes sunt etiam caussae excitantes, ut omnibus notum est. Nullus mortiferam vaporum metallicorum vim adumbrat, ut Lucretius, qui lib. VI. de rerum natura cecinit =

Denique ubi argenti venas aurique sequuntur ,
Terraï penitus scrutantes abdita ferro ,
Quales expiret scaptesula subter odores ?

Quidve mali fit ut exhalet aurata metalla ?
Quas hominum reddunt facies ? qualesque colores ?
Non ne vides, audisve perire in tempore parvo
Quam soleant ? et quam vitaï copia desit,
Quos opere in tali cohibet vis magna? necesse est
Hos igitur tellus omnes exaestuet aestus,
Expiretque foras in aperta promptaque coeli. =

Haec colica non solum est frequens, atrocior, pertinacior, sed etiam saepe lethalis est. Satis est animadvertere gravia symptomata, quae eam comitantur, ut saevi dolores, paralysis extremitatum superiorum, asthma, delirium, syncopes, epilepsia, vomitus materiei viridis, palpitationes, etc. Cum autem aegri hisce gravibus symptomatibus resistunt, crebro caecitas, icterus, hydrops, membrorum paralysis consequitur. Quoad vero curationem, si caussa sit recens, in primis curandum est, ut expellatur vomitu ; deinde aliquod usurpetur paregoricum. Si vero caussa jam efficaciter actionem exercuerit, magisque morbus evolutus, idonea sunt eccoprotica, oleosa, fomentationes, balnea, clysteres,

quaeque possunt [dolorum, et spasmorum ferociam flectere. Dantur igitur oleum amygdalarum dulcium, et etiam illud olivarum; decoctiones mucilaginosae; serum lactis depuratum; lac asininum, aut caprinum; fomentationes ex decoctione papaverum, quae fiunt super abdomen; clysteres ex infusione chamomillae; et composita ex opio. Postea quam vero spasmus fuerit imminutus, et etiam penitus resolutus, aliquod eccoproticum repetendum est. Si post haec auxilia aegri veniunt ad convalescentiam, praesertim si admodum debiles sint, aliqua tonica potio utilis esse potest, ut decoctio radicis gentianae, herbae absinthii, centaureae minoris, etc. Verum si spasmi obstinate remediis obsistant, practici conveniunt vesicans esse applicandum super abdomen. Sunt qui proponunt clysteres ex infusione, aut fumo tabaci; sed hoc est remedium multae cogitationis, quippe quod certe spasmos componit, sed vires admodum diruit. Inter autem mala, quae hanc colicam consequuntur, est paresis. Si haec

sit recens, ponantur affectae partes in animalium ventre recens mactatorum ; adhibeantur frictiones; balnea thermalia ; nervina linimenta ; caeli mutatio. Si hisce remediis non dissipetur paresis, experiri electricitatem debemus , quo magis vis nervea, et muscularis excitetur. Denique ut impediatur recidiva morbi effugiantur caussae , et etiam frigus, et errores in diaetetico regimine. Custodienda est animi quies; aliqua fiat corporis exercitatio , ut ambulatio , equitatio ; servetur ventris , pedumque calor ; saepe etiam multum interest, ut aptis tonicis auxiliis amissum robur intestinis concilietur , nimirum cortice peruviano, amaris , chalybe. Identidem et usurpanda sunt balnea calida , et alvus movenda.

§. 1997. Colica vegetabilis , aut colica Pictonum, similis est saturninae , siquidem eadem sunt symptomata, et paralysi extremitatum terminatur. Interdum praecedunt quaedam prodroma signa , ut sensus ponderis, et molestiae in abdomine ; deinde accedunt symptomata propria,

ut dolor ad regionem epigastricam, maxime post sumptum alimentum. Hic vero dolor mox ad umbilicum descendit, et ex uno latere ad aliud transit; exacerbatur, se remittit, et post aliquot horas redit. Est etiam adnotanda retractio testium, et dolor ad scrotum, inguina, femora, crura; vomendi desiderium; lingua albida, flava, subviridis; vomitus bilis, et materiarum acidarum; bilis vel est sublutea, vel nigra, vel acerrima; icterus; inflatio ventris, qui versus spinam retrahitur, nec pati potest levem manus contactum; adest nausea, et ructus; genua vacillant; crura carent sensibilitate; pulsus sunt parvi, debiles, irregulares, contracti, exiles; facies est pallida; vexant singultus, convulsiones, pertinax alvi durities, ischuria, stranguria; urina est pallida, sedimentosa, scilicet album sedimentum deponit. Si haec symptomata persistant, paralysis artuum, ut plurimum superiorum, et omnium musculorum voluntati inservientium consequitur; versus ulnas incurvantur manus; extremitates etiam inferiores

fiunt paralyticae ; aegri fiunt pallidi , et tabescentes ; vox clangosa , et strepens; oculorum caligo , et convulsiones superveniunt ; aures non sentiunt ; accedit hydrops , apoplexia, mors. Quoad presagium, et curationem hujusce colicae , eadem valent tradita praecepta ; sed dumtaxat animadvertendum est , quod si haec colica veniat a vinis, et a substantiis acidis , praeter purgantia , ahdibenda sunt absorbentia, potissimum magnesia , quae etiam ad aperiendum ventrem inserviunt.

§. 1998. Plures sunt colicae symptomaticae ; sed solum de frequentioribus mentionem faciamus, et in primis de colica quae dicitur spasmodica. Haec a pluribus morbis excitatur, sed praesertim ab affectione hysterica et hypochondriaca. In illa hysterica adnotanda est contorsio dolens , ut plurimum vaga ; sensus globi ad fauces usque ascendentis ; urina tenuis et aquea , quae saepissime emittitur ; tremores ; horripilationes ; oscitationes. Symptomata hujusce colicae parum differunt ab illis colicae spasmodicae hypochondriacae.

Utraque adoritur vel foeminas hystericas, vel homines hypochondriacos. Non infrequenter etiam a vehementibus convulsionibus producitur colica spasmodica, cujus symptomata sunt acerbi dolores, qui plerumque surgunt ab epigastrio, et compressione minuuntur; musculi abdominales involuntario contrahuntur; molestant singultus, nausea, vomitus, alvi durities, animi dejectio. Omnes spasmodicae colicae symptomaticae indomitae sunt; et non raro hisce supervenit icterus, praesertim sub paroxysmis hystericis, et hypochodriacis. Tractu temporis perturbant functiones, maxime digestionem, et nutritionem, unde corporis consumptio consequitur. Opportuna medicamina sunt fomentationes, semicupia, balnea, clysteres ex infusione florum chamomillae; anodyna, et antispasmodica, ut ipsa infusio florum chamomillae, aquae destillatae anthystericae, liquor anodynus mineralis Hoff; laudanum liquidum Syd; tinctura castorei; etc. Si vero in caussa sit vasorum sanguineorum plenitudo, haec est imminuenda; sic si

non desint gastricae impuritatis indicia, leves purgationes negligendae non sunt.

§. 1999. Aliae etiam colicae symptomaticae cognoscuntur a signis primariorum morborum, a quibus nomen habent. Idcirco dicitur colica verminosa, quae oritur a vermibus, potissimum lumbricis. Hujus signa sunt sensus erosionis et morsus in abdomine qui ex intervallo excruciat; affligunt etiam dolores rodentes, de loco in locum migrantes, aut fugaces sine alvi compressione; est nausea; dilatatio pupularum; pruritus narium; nonnunquam cardialgia; apud infantes observantur excrementa cineracea; expiratur peculiaris halitus; facies modo pallet, modo rubet; pulsus irregularis, intermittens, febrilis. Si vero vermes non sint lumbrici, sed taenia, dolor est circa umbilicum; percipitur ventris motus fluctuans, et magna sensibilitas; praecordia tenduntur. Quamvis colica verminosa ut plurimum feliciter curatur, interdum tamen periculosa est propter gravia symptomata, ut sunt convulsiones, et delirium; aut lethalis,

praecipue si producatur a lumbricorum proventu. Curatio praecipue in catharticis, et anthelminthicis consistit. Remedia igitur sunt oleum seminum ricini, syrupus florum persicorum, senna, manna, semen contra, mercurius dulcis, aethiops mineralis, fomentationes, clysteres ex lacte et melle, qui interdum lumbricos purgantibus resistentes alliciunt. In curatione hujusce colicae observare debemus, quod aliquando sunt evidentia vermium signa in ventriculo, qui tendunt per os egredi; et tum nil magis expedit quam emeticum. Si vermes reluctentur, solent practici super abdomen unctiones praecipere ex unguento de arthanita; aut aliquot guttas petrolei, ut super abdomen ipsum illiniantur. Sunt etiam qui ad duas vel tres guttas pro usu interno petroleum adhibent. Quod diximus de colica verminosa de aliis colicis symptomaticis dicendum est. Si enim colica proficiscatur a scorbuto dicitur scorbutica, quae signis stipatur scorbuticae diatheseos; sed praeter haec signa vehementer dolores imi ventris agitant; fla-

tus murmurant; et retro trahitur abdomen. Interdum haec colica in epilepsiam transit. Prius abdominis dolores fomentationibus, clysteribus, sedantibus flectantur; deinde dentur antiscorbutica, praesertim serum depuratum lactis. Si colica proveniat a duris corporibus, praesertim a calculis qui sunt in intestinis dicitur calculosa. Saepe calculi cum faecibus evacuantur; sed interdum hoc non evenit, et ab illorum pondere et stimulo producuntur symptomata quae discrimen afferunt. Hujusmodi dura corpora et calculi, si cum faecibus detrudantur, subjiciantur examini. Si enim cognoscere possumus quibus componuntur principia, praeter fomentationes, balnea, clysteres, et alia quae ad placandos dolores inserviunt, eligemus auxilia, quae illa resolvendi corpora habeant vim.

§. 2000. Mulieres tempore gestationis frequenter laborant colica, quae ad symptomaticas referri potest. Mulieres enim hoc tempore plures committunt errores in diaetetico regimine, et appetunt, quae ab

ipsis digeri non possunt; ideoque gastricae impuritates cumulantur, ex quibus extricatur aër, qui dum intestina distendit, saevos affert dolores, et interdum alvus nimis adstringitur. Haec colica nòn raro sponte dissipatur, quia supervenit diarrhoea, qua impurae materiae expelluntur. Interdum etiam utilis est vomitus, maxime si impuritates in ventriculo colligantur, ut nausea, desiderium vomendi, capitis dolor, vertigines demonstrant. Sed interdum obstinata est alvi duritia, et dolores torquent. Tum peropportunae sunt purgationes leves, clysteres emollientes, et fotus per aliquot dies, quibus plerumque leniuntur dolores. Interdum in gravidis mulieribus non ab erroribus diaetae, sed a nimia ventris duritia suscitantur colicae; nam ex collectis faecibus evolvuntur flatus, qui multum intestina distrahunt, et dolores promovent, qui facto intervallo redeunt, et persaepe circa umbilicum versantur. Valde juvant oleosa, ut oleum amygdalarum dulcium pluries in die exhibitum; pulli aquam affatim hau-

rire; et clysteres emollientes injicere. Si haec non sufficiant, quin dolores augeantur, cum mulier plethorica sit et robusta, omittenda non est venae sectio. Subinde sedantur dolores sed talia signa manent, ut nos repetere levem purgationem suadeant. Etiam hae colicae infrequentes non sunt in mulieribus temperamento sanguineo-biliose, aut bilioso praeditis, in quibus utilis est aliqua sanguinis missio, maxime si moveatur febris, et saevi sint, et pungentes dolores. De reliquo curatio non differt.

§. 2001. Plures etiam sunt colicae quae dici possunt secundariae, ut podagrica, rheumatica, herpetica, scabiosa, miliaris, petechialis, etc. Podagrica oritur a retrocessione materiei podagricae, quae ad intestina tsansfertur. In hac colica gravissimi sunt dolores, et maxima est alvi compressio. Imminet saepe periculum, quia ab hac retrocessione inflammari possunt intestina. Extrahendus statim sanguis est a pedibus, ad quos est podagra revocanda. Colica rheumatica interdum prima-

ria est, cum scilicet ortum habet ab aëris vicissitudinibus, ex quibus materies perspirabilis ad intestina transvehitur; interdum est secundaria, si commoveatur a metastasi materiei rheumaticae ad intestina, quae aliis partibus adhaerebat. Etiam ab hac caussa inflammari possunt intestina. Curatio incipiatur a sanguinis missione, deinde facere praesertim debemus, ut materies rheumatica ad pristinam sedem deducatur. Sic de reliquis colicis a retrocessis impetiginibus et exanthematibus dicendum est, quae ob imminentem intestinorum inflammationem infaustum habere possunt exitum. Curatio igitur hanc praecavere debet inflammationem, et ad propria loca materias morbosas arcessere.

GENUS TRIGESIMUMPRIMUM

Hepatalgia

§. 2002. Hepar est viscus vasis nervisque confertum. Non solum enim hoc vena portarum pervadit, verum etiam vasa arteriosa quae a coeliaca proveniunt, et venosa vasa quae ad cavam spectant. Multiplices autem, quamvis tenues, sunt hujus visceris nervi, qui a pneumo-gastrico, a plexu hepatico, et diaphragmatico nascuntur. Vasa autem cum nervis tenuibus, ductibusque biliariis componunt fasciculos, laxa cellulosa intercedente. Propter hanc fabricam ab innumeris caussis facile irritatur hepar; ideoque non infrequenter ab inflammatoriis, et nervosis morbis afficitur. Nunc vero loqui dumtaxat debemus de illo dolore hepatis, qui ad nervosam ejus affectionem pertinet, hepatalgia nuncupatus. Hepatalgia igitur, quae dicitur etiam colica hepatica, est dolens molestaque hepatis sensatio sine febre. Interdum primaria est;

saepius symptomatica. Primaria nascitur a diversis caussis; symptomatica a multis morbis, maxime hepatis, ex quibus sumit diversa nomina, ut hepatalgiae calculosae, scirrhosae, sarcomatosae, apostematosae, etc. Illa autem hepatalgia, quae a Sauvages dicitur deceptiva ad morbos hepatis non attinet, sed ad illos dextri renis, a cujus calculis, et apostemate nascitur.

§. 2003. Multa sunt symptomata hepatalgiae primariae, sed varia pro diversis caussis. Generalia signa haberi debent sensatio dolens, et distendens hepatis regionem, raro fixa et continua, sed saepe ad intestina se se producens; modo relinquens, modo remeans; saepe ferocius aggreditur, et sitim, anxietatem, alvi duritiem producit, unde paucae, durae, nigricantes, cineraceae faeces egeruntur; ictericus color; urina lutea, vel plus quam solet satura. Specialia signa indicant caussam, a qua gignitur morbus. Itaque si caussa fuerit ira, praeter dolorem non desunt oris amarities, sitis, appetitus defectus, icterus, urina lutea: si collectio bilis in cy-

stide fellea, adnotabilis est tumor in ipsa cystidis regione, sensus adest fluctuationis; suscitatur febris cum horrore: si abusus calefacentium, molestat internus calor, sitis, et aliqua febris commovetur, linguae adnotatur asperitas, et nonnunquam supervenit vomitus et dejectio biliosa: si inertia hepatis, urgent etiam saepe intestinorum dolores, nec regulares sunt dejectiones, nec faeces bene confectae: si intemperantia mittendi sanguinis, pulsus sunt rari et parvi, facies pallida, urina fere aquea, proclivitas ad oedemata: si fungorum esus, tenditur abdomen, est nausea, vomitus, icterus, et induratur hepar, ut semel vidimus. Si vero hepatalgia sit symptomatica comparent signa primariorum morborum. Si ex. gr. nascitur a calculis biliariis, excruciat dolor, qui plerumque sedet ubi choledochus in duodenum inseritur, et ad epigastrium extenditur, et saepe efferus est, cum scilicet calculus tentat in intestina descendere, aut post assumpta alimenta, sed saepius post aliquot a pastu horas; est etiam dextri hypochondrii ten-

sio, icterus, et magna lassitudo: si ab hepatis obstructione, est quaedam difficultas respirationis, dolor obtusus, aliqua sitis, os amarum et siccum, inappetentia, sicca tussis, alvus adstricta: si ab hepatis scirrho, est tumor valde durus in hypochondrio dextro, difficilis respiratio, dolor gravans, sicca tussis, cibi fastidium, molestus decubitus super oppositum latus, sensus pressionis supra ventriculum, pallida facies, pravus corporis habitus, urina lutea crassa sedimentum deponens, oedema pedum, partium superiorum macies, lenta febris: si ab hepatis apostemate, cum efformatur abscessus evolvitur febris cum frigore, quae sudore finem habet, et dum conficitur pus augetur dolor in hypochondrio dextro, qui pulsatilis est, in medio abscessus fluctuatio percipitur, dejiciuntur vires, pulsus est debilis: si ab hepatis sarcomate, ingens saepe est tumor et dolor in regione hepatis ipsius, difficilis respiratio, sitis, nausea, defectus appetitus, ardua digestio. Sauvages Tom. II. pag. 109. has refert observationes adnotatu dignissi-

mas = Fuldenreichius in viro, cui hypochondrium dextrum dolore gravativo et tumore afficiebatur cum inappetentia, vomitione biliosa, polydipsia, invenit post mortem hepatis molem portentosam, librarum scilicet quatuordecim, praeter carnosam excrescentiam caput infantis aequantem in mesenterio: in altero aegro similia symptomata; sed ex umbilico saepe materies serosa et alba fluebat: hepar grande, induratum, et triginta ulcuscula habens inventum est. In filia simili morbo affecta hepar insolita molis erat, pallidumque et totam abdominis cavitatem replebat. =

§. 2004. Caussa hepatalgiae proxima est hepatis vel cystidis felleae irritatio. Hic morbus magis temperamentum sanguineo-biliosum, biliosum, melancholicum, sensibile, et aetatem juvenilem, vel provectam affectat. Veteres ad exponendam hepatalgiae originem ad intemperiem vel calidam vel frigidam hepatis recurrebant. Inquiebant adesse calidam, si aetas sit juvenilis, magna ad iram proclivitas; adhibeantur calefacentia alimenta; contingant dejectiones,

et ejectiones biliosae; deprehendatur luteus color in facie, in oculis, in urinis; lingua siccescat; manuum volae urant: frigidam vero, si spectabilis sit solidorum inertia; et fluida muccosa; aetas provecta; immodicae instituantur sanguinis missiones, pulsus sint parvi, et rari; frigedo corpus occupet; urina reddatur sine colore; palleat facies; multa sit ad oedemata dispositio. Sed hujusmodi hepatis intemperies, sive calida sive frigida non est nisi temperamenti, aetatis, et vivendi ritus effectus. Excitantes vero caussae plures sunt, ut animi motus, maxime ira et moeror; qualitas, et quantitas bilis, quae aut pungit et distendit vesiculam fellis, aut lacessit sensiles membranas ductuum biliariorum, aut utpote nimis densa per hos ductus fluere non potest; alimenta acria et stimulantia; abusus aromatum, vini, liquorum spirituosorum. Quamvis vero hepatalgia, vel a caussis incitantibus vel debilitantibus nascatur, tamen sunt caussae quae directe agunt in hepar, et hoc viscus agitant, irritant, varioque modo laedunt. In-

ter caussas internas est ira, quae speciatim in hepar operatur; inter caussas externas est aliquando esus fungorum veneficorum, qui excitant dolorem, et hepatis duritiem.

§. 2005. Pro diversa caussarum natura modo hepatalgia est levis et fugax, modo diuturna, et gravis. Subinde enim per plures menses affligit, et in suis recursibus periculosa evadit, quia suscitat febrem, aliaque inflammationis foenomena; subinde hujusmodi recursus sunt admodum frequentes, et in senibus discrimine pleni. Interdum vero natura tentat resolvere morbum; idcirco levis expergiscitur febris, quae utile est naturae ipsius conamen. Illa autem hepatalgia raro sanabilis est, quae nascitur a nimia distensione cystidis felleae propter densam collectam bilem. Dum symptomatica est, plus vel minus portendit discriminis. Illa a calculis saepe ineluctabilis est; siquidem ab ipsis calculis augentur dolores et proinde febris et inflammatio hepatis consequitur; quamvis interdum vanescit, si forte calculi in intestina descendant. Si suscitatur a scirrho, praecipue

ubi existit scirrhosa diathesis, ut plurimum lethalis est, quippe quae consumptionem, ascitem, febrem lentam sollicitat. Illa etiam ab abscessu hepatis periculosissima est, praesertim si pus in abdominis cavitatem diffundatur. Illa tandem a sarcomate exitiabilis est.

§. 2006. Curatio hepatalgiae differt secundum caussas; sed accessu doloris, si aetas sit florens, temperamentum plethoricum, et explicetur febris, conveniunt venae sectiones generales et locales; semicupia, et balnea tepida; fotus, et clysteres emollientes; diluentia; oleosa. Cum vero cessaverit dolor, aliaque symptomata, utile esse potest serum lactis depuratum, vel aquae minerales acidulae; victus sit tenuis; et deinde fugienda sunt violentiora corporis exercitia. Si ex adverso temperamentum sit debile, pulsus etiam sit debilis provecta aetas, in caussa sint animi deprimentia pathemata, post dolorem, qui compescitur fomentationibus, unctionibus oleosis, clysteribus, apta sunt quae roborant, et resolvunt, ut absinthium, chamaedrys,

aquae thermales, martialia, stomachica. Si a signis cognoscamus, hepatalgiam produci a collectione bilis in cystide fellea, non semper obstacula cursui bilis insuperabilia sunt, et ideo admodum prodesse possunt levia purgantia, resolventia, diluentia, deobstruentia, ut sunt pilulae compositae ex bile bovilla, sapone veneto, et aloe soccotrina. Bilis autem bovilla non solum habet deobstruendi, sed etiam digestionem adjuvandi facultatem, cum vim ventriculi et intestinorum augeat. Si vero vesicula fellis peritonaeo adhaereat, tentanda est incisio, dummodo bilis in cavitatem abdominis non praeterfluat. Inquit Sauvages Tom. II. pag. 110. = Cognoscitur vero ea adhaerentia ex eo quod, 1.° tumor loco suo non potest dimoveri; 2.° ex mollitie, et rubedine tegumentorum; 3.° frequenti recursu inflammationis in integumentis. = Si autem hepatalgia symptomatica sit, dirigi debet curatio secundum indolem primarii morbi. Si enim promoveatur ab aliquo hepatis aggestu, eligantur quae emolliunt, et resolvunt, ut unctiones ex oleo amygdalarum

dulcium, vel hyoscyami; emplastra emollientia, et resolventia; serum depuratum lactis; decoctiones taraxaci, cichorei; aquae acidulae martiales. Si vero aggestus hepatis non discutiatur et identidem urgeat dolor, maxima utilitate unctiones praecipere soleo ad hypochondrium dextrum, cum aegri dormitum se conferant, ex unguento seminum frigidorum, extracto cicutae, et atropae belladonnae, et unguento mercuriali. Si a calculis biliariis excitetur hepatalgia, remedia sunt emollientia, mitia purgantia, diluentia, clysteres, fomentationes, balnea calida. Post autem dolorum accessus, ad resolvendos et expellendos calculos, conferunt saponacea, cathartica, balnea. Si primarius morbus sit scirrhus hepatis, circumspecte agendum est. Si enim temperamentum sit calidum, expedit serum lactis depuratum; decoctiones herbarum et radicum aperientium; unctiones oleosae; balnea tepida: si temperamentum sit lymphaticum, opportuna sunt cathartica; aquae thermales, et martialia; decoctiones, et extracta radicum aperientium,

Tandem tam pro interno, quam pro externo usu experiri debemus mercurium. Si autem hepatalgia sit effectus abscessus hepatis, hic ut educatur pus est incidendus, et post detergentes et balsamicae injectiones fiant.

GENUS TRIGESIMUMSECUNDUM

Splenalgia

§. 2007. Componitur substantia splenis ex vasis arteriosis et venosis, minimisque nervis, qui suis ramis arterias ipsas circumdant. Nervi splenis a peculiari plexu, a posterioribus ramis nervi pneumogastrici, et a magno nervo intercostali nascuntur. Ratione hujus structurae splen obnoxius est inflammatoriis et nervosis morbis, inter quos est splenalgia, de qua loqui debemus. Splenalgia est splenis dolor sine febre. Hic vero dolor aut est acutus, aut obtusus, aut fugax, aut pertinax, aut periodicus, aut remeans sine periodo. Etiam

splenalgia primaria est, vel symptomatica. Prima oritur a caussis quae agunt in splenem, ejusque nervos irritant; altera ab aliis morbis, maxime ipsius splenis, a quibus etiam ducit nomen, ut est splenalgia scirrhosa, suppuratoria, sarcomatosa, etc. Inter splenalgias symptomaticas frequentior est quae provenit ab obstructione visceris, praesertim ab illa quae diuturnas febres intermittentes excipit.

§. 2008. Symptomata splenalgiae sunt dolor ad regionem splenis; respiratio difficilis; anxietas; palpitatio cordis, maxime motu corporis; os aridum, et amarum; dolor capitis; nausea, et inappetentia; animi deliquia; motus convulsivi; urinae coloratae; tristitia; quaedam sensatio motus in ipso splene. Cum igitur splenalgia consistat in dolore qui occupat regionem splenis sine febre, facile a splenitide distinguitur; sed cum colico dolore confundi potest. Inquit Riverius Prax. Med. lib. XII. Cap. II. = Ab inflammatione facile distinguitur per febris, et renitentiae absentiam. Difficilius vero a colico dolore,

quia colon intestinum spleni subjicitur, et incumbit: distinguuntur tamen, quod dolor splenicus gravis sit, et in uno loco fixus; colicus vero distendens, acutus, mobilis, et ad totum ventrem excurrens. = Interdum splenalgia est periodica, et saepe etiam spasmodica, in cujus paroxysmis splen inflatur, quibus cessatis, detumescit. Cognoscitur autem splenalgia symptomatica a signis praesentiam primariorum morborum indicantibus. Si enim concitetur a congestione visceris, in primis est gravitas in hypochondrio sinistro; deinde percipitur dolor, praesertim celeri ambulatione, et cursu; sensim perditur faciei color, quae tandem livescit; opprimit aegritudo, et lassitudo corporis; difficilis est respiratio, maxime sub aliqua exercitatione; interdum molestat sicca tussis, interdum cordis palpitatio. Si vero major sit visceris obstructio, comprehenditur tactu ipsius visceris durities; identidem aggreditur dolor, maxime si exerceatur corpus; pravus est corporis habitus; premit respirandi difficultas, lassitudo, inappetentia; et partes corporis,

potissimum extremae incumbunt ad oedemata. Si autem primarius morbus sit scirrhus; deprehenditur tumor, qui exhibet splenis figuram, et interdum mirandum in modum extenditur; urget gravitatis sensus, et dolor; facies est plumbea; negotium facessit respiratio; corpus absumitur, et ad ascitem disponitur. Dum splenalgia est suppuratoria, signa inflammationis visceris praecedunt. Interdum in splene latent tubercula quae transeunt in suppurationem. Asserit Baillie Anat. pathol. Vol. II. pag. 65. hujusmodi vidisse tubercula, quae pus densum et coactum continebant, sicut illud est scrophularum. Si sit sarcomatica, splen est ingens, sed non tam durus ut in obstuctionibus. Si in his incidatur viscus, nulla exuberantia carnea reperitur, sed ejus remanet naturalis structura, quamvis volumine aucta, magisque compacta. Dum vero splenis durities est scirrhosa non raro in abdomine colligitur aqua, quae nunquam invenitur, ubi substantia splenis sarcomatosa est. In hujus visceris sarcomate augetur volumen et pon-

dus, et interdum cumulantur in ipso viscere humor niger et piceus, ut apud auctores comperiuntur exempla. Aliquando suscitatur splenalgia a calculis, et ab hydatibus. Calculi vero splenis rarissimi sunt, sed ubi sunt afferre possunt dolores splenalgicos, praesertim si sint inaequales, et asperi. Etiam hydatides frequentius in hepate, quam in splene inveniuntur; sed si in hoc radices agant, sensim augetur volumen, et aliquantisper mollius fit; sentitur etiam obscura fluctuatio; et in hypochondrio sinistro adest sensatio doloris.

§. 2009. Caussa proxima splenalgiae primariae est splenis irritatio. Plus homines, quam mulieres; plus senes, quam juvenes hoc morbo laborant, ut etiam qui splenem magnum habent, et splenici vel lienosi appellantur. Caussae excitantes sunt longi et vehementes cursus; violentae corporis exercitationes; flatus intestinorum tubum distendentes; prava alimenta, et potiones; nimia vasorum sanguineorum plenitudo; suppressio fluxus haemorrhoidalis; esus fructuum immaturorum, acidorum-

que ; animi affectus , maxime moeror. Morbi autem qui frequentius splenalgiam progignunt , sunt obstructiones , scirrhi, suppurationes splenis ; interdum sarcomata , tubercula , calculi , hydatides. Adnotanda est observatio Morgagni, qui Epist. XXXVIII. n.° 34. inquit. = Sed in majoris lienis tunica praeter aliquot hydatides , corpuscula passim prominebant subrotunda , alba , et dura , magnitudine varia , pleraque tamen milii granis aliquanto majora. =

§. 2010. Splenalgia primaria est persaepe brevis morbus , sed facile revertitur, utpote qui a cursu , immodicis exercitationibus corporis , affligentibus animi motibus solet concitari. Interdum vero splenalgicus dolor magis permanet , frequentius repetit , cum scilicet in splene aggregentur humores , ex quibus hujus oritur majus volumen , et durities. Subinde resolvitur splenalgia per levem febrem, ventris fluxum , nasalem haemorragiam, haemorrhoidalem fluxum , praesertim si hujus suppressio fuerit morbi caussa. Symptomatica splenalgia , quae ab obstructioni-

bus recentibus oritur, apta curatione dissolvi potest, quod difficile evenit, si obstructiones antiquae sint, et ingentes. Si vero sint scirrhosae, non solum persistit dolor, sed macies, oedema pedum, ascites, exulceratio crurum, lentaque febris consequuntur. Etiam in splenalgia a suppuratione splenis aut supervenit consumptio, aut prompta mors, si nempe aperiatur saccus pure plenus, et hoc in abdomen diffundatur. Sic ominari possumus infaustum morbi finem, si splenis dolores a sarcomate, tuberculis in suppurationem abeuntibus, et hydatidibus producuntur. Animadvertere debemus quod sectione cadaverum reperitur saepius lien quam alia viscera enormis magnitudinis, sed naturalis structurae, ideoque nec attulit dolores, nec alias aegritudines. Haec vero monstruosa magnitudo haberi semper debet ut praedispositio ad plures morbos et ob compressionem quam edere potest in partes contiguas, et ob positus mutationem quam propinquis visceribus inducere potest.

§. 2011. Cum dolor lienis acerbus et pertinax contingat in juvenibus et plethoricis, et febrem moveat, convenit sanguinis missio. Cum vero venae sectio ambigua sit, applicentur hirudines vasis haemorrhoidalibus, praesertim si haemorrhoidalis cursus fuerit cohibitus. Insuper semicupia, balnea, fotus, et clysteres emollientes, et unctiones oleosae fiant. Si vero dolor perseveret ad sedantia et narcotica recurrendum est. Quo autem melior fiat conditio humorum, detur serum lactis depuratum aut simplex, aut cum succo plantarum recentium, ut cichorei, nasturtii, taraxaci, etc. Semper vero inquirenda morbi caussa est. Si enim haec sit prava alimentorum, et potionum qualitas, ut carnes salitae, fructus acidi, in primis est corrigenda; sic dicendum, si cursus, immodica corporis exercitatio, aliquod animi pathema. Si autem splenalgia habeat originem ab obstructione lienis, haec deobstruentibus est excutienda, ut sunt rhabarbarum, sapo venetus, terra foliata tartari, extractum graminis, serum lactis depuratum vel sim-

plex, vel succis herbarum recentium, stillicidia, balnea, unctiones prius emollientes postea resolventes, praecipue unctiones mercuriales. Si durities sit scirrhosa, pro usu interno experiri possumus mercurium cum extracto cicutae, et ad sedandos dolores, si urgeant, opium ejusque composita, et etiam unctiones mercuriales. Dum suspicamur de praesentia hydatidum, remedia sunt diuretica, et narcotica, ut scilla, digitalis purpurea, opium, et horum medicamentorum praeparata.

GENUS TRIGESIMUMTERTIUM

Nephralgia

§. 2012. Recipiunt renes arteriam renalem, quae provenit ab abdominali aorta, et per eorum substantiam in ramos dividitur, et sanguinem vehit, ex quo urina secernitur; recipiunt venas quae reportant sanguinem ad venam cavam inferiorem, nutritioni visceris, et secretioni urinae re-

siduum; recipiunt vasa lymphatica, quae ferunt lympham ad ganglia lumbaria; recipiunt nervos, qui a gangliis semilunaribus, plexu solari et coeliaco, minimisque nervis splanchnicis proficiscuntur. Ex hac textura intelligitur quam facile possint irritari renes, unde nascitur dolor, qui si sine febre in eorum regione fixus haereat, aut vero juxta ureterum cursum, illum constituit morbum qui dicitur nephralgia. Haec est plerumque aliorum morborum symptoma, sed interdum primaria est, cum scilicet ab aliqua caussa directe irritantur renes, ut est horum monstruosa moles, sanguis qui a vasis exit et densatur, etc. Aliquando nephralgia spasmodica periodica est, aut saltem tendit ad periodum, cum fere praefinitis temporibus recurrit. Frequentius symptomatica est, siquidem nascitur ab arenis, calculis, hydatidibus, arthritide, rheumate, affectione hysterica, retento fluxu catameniali vel haemorrhoidali, suppuratione, vermibus renum, etc. Observandum est quod a Nosologis quaedam aegritudines recensentur inter nephralgiae

species, quae in renibus non habent sedem, ideoque non sunt habendae ut propriae renum, ut est nephralgia a pancreate, nephralgia mesenterica, quae non in renibus, sed in pancreate, et mesenterio consident.

§. 2013. Nephralgiae primariae et spasmodicae symptomata sunt crudelis et ad regionem renum fixus dolor, qui extenditur per ureterum tractum; vomitus plerumque biliosus, qui propter consensum partium a violentia dolorum producitur; intestinorum dolores, qui etiam ratione consensus excitantur; urinae, quae inter morbi initia limpidae, et aqueae sunt. Hujusce nephralgiae recursus ut plurimum vere et autumno contingunt. Aliquando nephralgia primaria nascitur ab ingenti mole renum, sed quia haec monstruosa magnitudo rara est, tradi non possunt firma, et indubia signa. Nihilominus non deest dolor ad renum regionem; molestus sensus ponderis in eadem regione; secretio urinae non recte absolvitur, et per hanc rationem interdum observata fuit urina cruenta, et

cum frustulis renum ipsorum. Si vero nephralgia oriatur a sanguine, qui exit a vasis renum, et in ureteribus densatur, comparent symptomata, quae praesentiam calculorum simulant. Etenim adoriuntur saevi dolores; molestat vomitus, et singultus; supervenit periculosa ischuria. Si nephralgia sit symptomatica non raro commovetur ab arenis, aut ab exiguis, asperis, durisque lapillis, quos homines in senectute non raro cum urinis reddunt. Cum hujusmodi lapilli sunt tam exigui, raro haerent in renibus, vel ureteribus, sed expelluntur; attamen ab his identidem concitantur immites dolores, qui non parum infelicitant. Si vero calculi majores sint, dolores sunt atroces, sed fere nunquam in utraque renum regione, qui secundum ureteres producuntur; in hominibus adest dolens retractio testis affecti lateris, in foeminis cruris stupor et dolor; sub ferocia dolorum saepe vexant nausea, vomitus, tenesmus ad anum et vesicam urinariam; dolores si quiescant, a vectione, praesertim per lapideum pavimentum,

aut a calidiore victu, aut ab aliquo vehementi animi pathemate iterum excitantur; si aeger super affectum latus decumbat, dolores mitescunt, sed super oppositum latus exacerbantur; urinae in initio paucae sunt, et aqueae, deinde turbidae, copiosae, cruentae. Nephralgia calculosa non raro in nephritidem calculosam convertitur, cum scilicet admodum augetur calculorum tormentum, proindeque suscitatur acuta febris. Interdum irritatio calculorum producit symptomata, quae in errorem inducunt; sed si diligenter examinentur urinae, renulae aut crystalla rubra deprehenduntur; sanguis saepe immiscetur urinis; dolores, qui vectione, violenta corporis exercitatione, cibis exstimulantibus acerbiores fiunt. Aliquando renum dolores producuntur ab hydatidibus, quae infrequentes non sunt. Harum numerus varius est, ut varia est in ipsis renibus sedes. Affirmat Morgagni Epist. LXIX. n.° 2. se vidisse renum substantiam pluribus et profundis hydatidibus excavatam. Haec sunt ejus verba = At renum uterque pluribus hy-

datidibus excavatus, quae sub ipsa eorum tunica incipientes eo perveniebant, ut tubulos qui papillas excipiunt, contingerent, inaequali intus superficie, sed sua undique membrana comprehensae. = Hydatides vero, quae reperiuntur in renibus non semper verae sunt, et ab illis hepatis differunt; nimirum non sunt exiguae hydatides adhaerentes tunicae majorum hydatidum. Quamobrem animadvertit Baillie, probabile esse, consuetas renum hydatides pendere a mutata structura renum, nec esse animalia simplicis quidem, sed distinctae compositionis. Verum comperiuntur aliquando verae hydatides, quae ab illis hepatis dissimiles non sunt. Hydatides autem aut pertineant ad vermes, aut sint effectus depravatae structurae renum, si extent, dolores afferunt, et illorum laedunt functionem. Interdum hydatides tam exiguae sunt, ut cum urinis exeant, in quibus aspiciuntur. Non infrequens vero est nephralgia arthritica, quia facile materies podagrica fertur ad renes. Saepe enim dolores extremorum cessant, et incipiunt illi re-

num, qui dum quiescunt, primi reproducuntur. Subinde vero materies podagrica non substantiam renum, sed musculos lumbares petit, quod cognoscitur a dolore in motibus urgente; subinde membranas, et periostium vertebrarum lumbarium, ut apparet ab acerbissimis doloribus, quamvis symptomata nephralgiam calculosam simulent. Hac enim podagrici frequentissime laborant, et saepe cum urinis reddunt calculos, qui cretacei sunt, et friabiles. Frequens etiam est nephralgia rheumatica in illis, qui diathesi rheumatica afficiuntur. Hos non raro corripit ferox dolor ad regionem lumborum, qui interdum usque ad os sacrum descendit, interdum ureterum directionem sequitur. Hic dolor excitatur a materie rheumatica, quae dum alias partes relinquit ad illam regionem migrat, et tam exagitat, ut aegri non possint ad captandam quietem invenire locum, et huc et illuc corpora jactent. Interdum a suppuratione renum suscitatur nephralgia. Renes enim inflammantur, et inflammatio nullo negotio transit in sup-

purationem, cum nulla sit glandula, in qua tam frequenter contingat suppuratio. Efformatio autem puris prius deducitur a suppurationis signis et a doloribus; postea efformatum pus in urinis cernitur, quod deponitur; dum absumitur corpus, in alterutro lumbo persentitur gravitas, adest cruris stupor, et lenta febris corripit. Etiam in scirrhositate renum non deficit obscurus dolor nephralgicus, siquidem intima illorum compositio depravatur, ut in aliis partibus scirrho affectis usuvenit. Interdum in affectione hysterica, et hypochondriaca dolor incurrit in renes, et juxta ureteres porrigitur, qui vero frequentior est in foeminis hystericis, in quibus ut reliqua hysterica pathemata saepe cito evanescit; sed nonnunquam tam crebro, et crudeliter corripit, ut renalem calculum mentiatur. Subinde vermes pariunt nephralgiam, praesertim spiroptera Rudolphi, et strongylus gigas ejusdem. Ubi hujusmodi vermes adsunt, dolores sunt immanes. Sauvages Tom. II. pag. 115. hanc narrat historiam = Juvenis quidam renum

dolore excarnificatus, demum excrevit cum urinis vermes plurimos nigros, magnitudine et longitudine acus communis, cornutos et friabiles, quorum duos Pachecus misit ad Riverium. = Hi vermes ad primum ordinem Rudolphi, nimirum ad nematoidea mihi pertinuisse videntur, sed nescio ad quod genus. Suspicamur tamen ad pseudo-helmintos spectasse; nam multam similitudinem in istis ex descriptione animadverto cum ascaride stephanostoma Joerdens quamvis quoad colorem aliasque proprietates sit aliqua differentia. A suppressione menstruorum, et fluxus haemorrhoidalis interdum oritur nephralgia, quae corripit tempore, quo hujusmodi cursus contingunt, cessat vero cum sanguis fluere incipiat. Hic vero augetur dolor si aeger decumbat, et alimentis potionibusque exstimulantibus utatur. In gravidis etiam non est rarus dolor in regione renum, qui ad vesicam usque urinariam profertur, unde difficile urinae paucae et aqueae excernuntur, quamvis frequens urget desiderium mingendi. Est interdum nephralgia

febrium perniciosarum symptoma, a quo recipiunt nomen nephriticarum. In earum enim accessionibus vexat vehementissimus nephriticus dolor una cum aliis symptomatibus quae indolem illarum perniciosam significant. Sunt etiam aliae nephralgiae symptomaticae, sed de his satis hactenus. Sunt praeterea nephralgiae sympathicae quae dependent a consensu partium aliquo morbo affectarum, et a renibus remotarum, et quae saepe obscurae sunt, quia non semper cognoscitur, ubi primaria affectio sedet.

§. 2014. Caussa proxima nephralgiae est irritatio nervorum et vasorum renum. Dispositio ad hunc morbum reperitur in temperamento nervoso, aut sanguineo-nervoso; et in vitae genere, praesertim in vita nimis exercita, aut nimis ignava. Ad caussas excitantes pertinent abusus veneris, et liquorum spirituosorum; prava alimenta, aut nimis calida; animi pathemata, maxime moeror; portentosa renum magnitudo. Nephralgia symptomatica oritur a plurimis morbis, ut vidimus, sed

frequentius a lapillis, vel majoribus calculis renum a quibus atroces dolores excitantur. Immites sunt etiam dolores, qui producuntur ab hydatidibus, sive veris sive spuriis; a materia podagrica, vel rheumatica, quae non solum irritat, sed non raro inflammat renes; a suppuratione, dum a pure abscessus cavea, partesque propinquae distenduntur. In scirrho renum dolores sunt obtusi propter lentum morbi progressum, sed persistentes. In affectione verminosa renum dolores modo plus modo minus affligunt, quod dependet a qualitate vermium. Etiam in suppressione menstruorum, aut fluxus haemorrhoidalis major vel minor dolorum intensitas nascitur a quantitate sanguinis, quae fertur ad renes. Indubium autem est, quin a consensu partium producatur nephralgia; sed aliquando dum consensualis esse videtur, primaria est, quae ab irritatione, et a spasmo renum efficitur. Hanc ob rationem sectione cadaverum nil fuit repertum nec in renibus, nec in aliis partibus.

§. 2015. Nephralgia primaria interdum est levis morbus, et fugiens, dum scilicet nascitur a caussis parvi momenti, ut est aliquis error in diaetetico regimine; interdum gravis, et pertinax, dum nempe provenit a gravioribus caussis, et quae non expedite auferri possunt, ut est peculiaris constitutio corporis. Hisce in casibus aut exit sanguis a renum vasis, qui si densetur, ischuria consequitur; aut ipsi renes inflammantur. Nephralgia symptomatica, quae nascitur a calculis, superatur, si hi abeant, aut conterantur; secus inflammari possunt renes, omnesque consequi inflammationis exitus. Nemo autem ignorat quam periculosa symptomata induci possunt a renum calculis, ut sunt saeva dolorum tormenta, vigiliae, maxima virium dejectio, vomitus, urinae suppressio, exulcerationes, febris, convulsiones, etc. Nephralgia podagrica vanescit, dum podagra transilit ad pedes; sed interdum hoc non evenit, renesque inflammat. Idem fere dicendum est de nephralgia rheumatica, quam subinde gravissima comitantur symptoma-

ta, ut sunt agitatio, vigilia, procumbendi impotentia. Si primarius morbus sit suppuratio renum, haec horum substantiam vastat, unde lenta febris, consumptio corporis, haematuria. Etiam ubi renes scirrhosi evadunt maximum est discrimen ob interclusam viscerum functionem, et ob degenerationem cancerosam. Nephralgia verminosa vincitur, si vermes cum urinis expellantur, secus atroces vexant dolores, tabescit corpus, excitatur lentá febris, et interdum inflammatio vehemens. Etiam hydatides periculosae sunt, quia mutant compositionem renum, et saepe impediunt urinarum fluxum. Nephralgia hysterica, et hypochondriaca nonnunquam persistit, aufert noctis quietem, absumit corpus, et convulsiones parit. Illa a suppressione fluxus menstruorum, aut haemorrhoidum facile cessat, si hic fluxus restituatur. Nephralgia in gravidis est molesta affectio, sed plerumque apta curatione subigitur.

§. 2016. Ut rite nephralgia primaria curetur, observandum est temperamentum, caussae, symptomata. Etenim si tempera-

mentum sit plethoricum, alimenta et potiones calidiores, intemperata praecesserit corporis exercitatio, locum habet sanguinis missio, aut hirudinum applicatio regioni lumborum, vasis vel haemorrhoidalibus; fotus, et clysteres emollientes; unctiones oleosae; aliquod leve purgans; semicupia, aut balnea tepida: si vero temperamentum admodum sensile, et vere nervosum, ingens virium debilitas, abusus veneris, aut mastrupationis vitium, dolor affligens et gravis sit, expediunt balnea calida; fomentationes emollientes; aliquod sedativum remedium, ut aqua lactucae cum aliquot guttis laudani liquidi Sydenhami, unctiones oleosae, clysteres ex decoctione chamomillae. Si nephralgia producatur a densato sanguine in uretere, et temperamentum sit plethoricum, et atrocissimi sint dolores, necessariae sunt sanguinis missiones; interius et exterius emollientia; et tandem si persistant dolores, sedantia, ut aqua lactucae, illa cohobata lauri cerasi, extractum hyoscyami, etc. Si dum debilis sit constitutio corporis, aliqua adsit humo-

rum perturbatio, et dolor molestiam afferat, praeter fotus emollientes, et quae dolores molliunt, et calida balnea, utile esse potest serum lactis depuratum; decoctiones ex carne vitulina, et ranarum; infusiones seminum lini; etc. Generatim autem amovendum est quidquid potest exasperare dolores, ut animi perturbationes, corporis exercitatio, impurus aër, non opportuna et selecta alimenta. Si autem nephralgia symptomatica infertur a calculis, remedia sunt venae sectiones; corporis, et animi quies; potiones emollientes et diluentes, ut infusiones florum malvae, violae, aqua cum succo mali medici, vel aurei edulcata; oleum amygdalarum dulcium; balnea, et semicupia calida; fomentationes emollientes; tandem narcotica, praesertim si dolores perseverant. Tenuis sit diaeta, et evitetur quidquid potest exacuere. Quapropter optimum est consilium quod dat Sauvages Tom. II. pag. 113. = Cavendum ab aquis mineralibus affatim haustis, a diureticis calidis urinam uberius in renes advocantibus, inde enim

calculus commovetur, et nephritis excitatur: ptisana nitrata optime conducit. = Post vero dolores adhibere possumus lithonthryptica, ut vidimus de calculis disputantes; sed praecipua sunt sapo albus, et uva ursi. Sapo, ut dissolvatur calculus, datur quotidie ad tres vel quatuor drachmas; infusio uvae ursi ad dimidiam drachmam. Hoc est praesentissimum remedium, quia dissolvit gluten, rumpit calculos, eosque ita comminuit, ut parva fragmenta exeant cum urina. Hoc vero abuti non debemus, quia potest dysuriam, vel haematuriam producere. Quamobrem si dimidia drachma uvae ursi aliquam in reddendis urinis difficultatem progignat, imminuatur dosis. Interdum nec lapilluli, nec calculi sunt in urinis, sed subsidunt arenae, ut in hominibus usuvenit provectae aetatis, qui dolores ad regionem renum identidem patiuntur. Tum usurpari potest solidago virga aurea, aut spilanthus acmella, seu acmella vera, etc. Verum enimvero ab arenis saepe formantur calculi; ideoque sapone albo, vel uva ursi

horum formatio praevertenda est. Si nephralgia sit podagrica ad pedes podagram impellere debemus; et ubi imminet renum inflammationis periculum, è vena pedum sanguinis missiones fiant. Etiam si nephralgia sit rheumatica conveniunt sanguinis missiones; potiones diluentes; et diaeta tenuis. Si autem proveniat a suppuratione renum, post inflammationem minuitur dolor sed pulsatio sentitur; corripiunt prius horrores, gravitas, et affectae partis stupor, deinde ardor, tensio, et alia signa quae proximarum partium distractionem et compressionem expromunt; tandem materies alba et fere lactea, quae cum urinis excernitur, suppurationem absolutam demonstrat. Antequam vero rumpatur abscessus dolor fit acutus, et post hujus rupturam cessat, et pus exit cum urinis. Vix igitur compareant suppurationis signa, facere debemus ut haec cito absolvatur, et bonum formetur pus. Ad id conducunt haustus decoctionum emollientium; applicatio regioni renum cataplasmatum emollientium; clysteres, et balnea. Cum au-

tem a symptomatibus deprehendimus, abscessum ad maturitatem pervenisse, studere debemus ut rumpatur, ne pus pravam naturam acquirat, aut absorbeatur. Interdum nephralgia nascitur a scirrho renum. Hic scirrhus si nondum sit malignus, indolens est; sed ratione molis auctae, et pressionis nervorum, qui praecipue a spinali medulla ad artus inferiores extenduntur, praeter ponderis sensum, crurumque stuporem, insurgit dolor obscurus, qui vero fit atrox, si scirrhus malignus fiat. Hic morbus immedicabilis est, et solum dolores narcoticis remediis lenire nobis datum est. Si nephralgia oriatur ab hydatidibus, jam vidimus quam obscura sit diagnosis; sed aliquando hydatides cum urinis exiguntur. Tum praeter sedantia, diuretica sunt adhibenda, praesertim si signa hydropicae diatheseos perspicua sint. Etiam vermes renum difficile cognoscuntur, sed subinde in urinis deprehenditur caos infusorium, quod quamvis inter pseudo-helminthos recensetur, dispositionem verminosam demonstrat; ideoque eligenda sunt il-

la remedia anthelminthica, quae etiam vi diuretica pollent. Si nephralgia sit hypochondriaca, vel hysterica, praeter balnea, semicupia, clysteres, juvant anthysterica, et narcotica. Si proficiscatur a retentis menstruis, vel haemorrhoidibus, prosunt sanguinis missiones generales et locales; balnea pedum; quae sollicitant alvum; potiones nitrosae et diluentes, ut infusio cum syrupo capilli veneris. Si contingat in gravidis, opem ferunt sanguinis missiones; clysteres emollientes; oleum amygdalarum dulcium; potiones laxantes; remedia quae dolores mulcent. Ubi curanda est perniciosa nephralgica, jam vidimus in paroxysmis adjuvare balnea, semicupia, fomentationes, clysteres emollientes, sedantia et oleosa; tempore vero apyrexiae corticem peruvianum, aut hujus praeparata. Tandem pro nephralgiis sympathicis, quamvis ignoratur quae sit pars praecipue affecta, praemissa de temperamento, et statu virium animadversione, generalia remedia auxiliantur, nimirum sanguinis missiones, fomentationes, et unctiones emollientes, bal-

nea, semicupia, leves purgationes, clysteres, animi quies, et tenuis victus.

GENUS TRIGESIMUMQUARTUM

Hysteralgia

§. 2017. Hysteralgia est uteri dolor sine febre. Cum hoc viscus plurimas arterias venasque flexuosas, et plurimos nervos, qui veniunt a plexu sciatico, et hypogastrico, et ideo nervos spinales, aliosque a magno sympathico, recipiat, intelligitur quam facile possit irritari, inflammari, et laborare spasmis. Hysteralgia esse potest primaria, symptomatica, et secundaria. Etenim interdum nascitur a peculiaribus caussis, quae plus minusve irritant uterum; interdum a morbis vel praesentibus, vel praecedentibus, ut sunt remotio uteri a propria sede; ipsius suppuratio, scirrhus, cancer, ulcera, calculi; affectio hysterica; graviditas. Etiam in puerperis est valde frequens hysteralgia, quae post naturalem

partum corripit, et cum incipit separatio lochiorum aut cum horum cursus non est expeditus, aut omnino reprimitur.

§. 2018. Sunt signa, quae de primaria hysteralgia monent, ut uteri dolor sine febre; anxietas; pulsus contractus; vigilia; nausea; ructus; sitis; etiam in lumbis dolor; saepe coxarum stupor; urina frequenter aquea: dum aliorum morborum signa omnino desunt. Haec foenomena pro diversis caussis excitantibus dissimilia esse possunt, sed horum pleraque animadvertuntur propter nervorum, maxime uteri sensibilitatem. Si ex. gr. hysteralgia primaria sit spasmodica, uteri dolores asperrimi sunt, et per intervalla graviores; aggrediuntur convulsivi motus; inaequales sunt pulsus: si hic morbus veniat ab irritatione uteri, quae interdum a materiis acribus et serosis producitur, molestat ardoris et prudoris sensus; ad vaginam extenditur rubor. Si autem hysteralgia sit symptomatica, notantur signa primarii morbi. Etenim si nascatur ab uteri prolapsu, qui dicitur hysteroptosis, cognoscitur exa-

mine, quo non solum prolapsus, sed etiam res circumstantes, quae hunc comitantur, perspiciuntur. Non infrequens est uteri inversio, quae modo completa, modo incompleta est. Cum est completa, uteri fundus in vagina amplum tumorem efformat, qui interdum exiit a magnis labiis; cum est incompleta, uteri fundus in ipsius cavitate struit tumorem, et in illa parte ubi hic fundus est, velut fissura deprehenditur, dum tubae Fallopii, ligamenta rotunda, et illa ovariorum, interius ad fissurae extremitates trahuntur. Inversio vero uteri unius partis, quae etiam tumorem format in illius cavitate, non bene a symptomatibus intelligitur, quae sunt profusae haemorrhagiae; copiosa menstrua; in horum intervallis ingens mucci profluvium. Quaedam depravationes situs uteri plerumque in graviditate contingunt, ut retroversio est. Dicitur retroversio cum uteri fundus respicit ossis sacri cavitatem, illiusque collum pubem. Haec depravatio situs nunquam fere evenit in statu vacuitatis, sed in primis tribus aut quatuor gra-

viditatis mensibus. Symptomata sunt plus vel minus gravia secundum uteri volumen, et retroversionis gradum. In initio morbi molestat sensus ponderis in pelvis fundo; distensiones dolorosae ad lumbos, inguina, femora; frequens stimulus deponendi faeces, et urinas, sed in dies augetur mingendi difficultas, et tandem intercluditur urinarum et faecum exitus. Uteri vero anteversio in hujus visceris vacuitate frequentior est. Haec dicitur cum uteri fundus prospicit pubis symphysin, collum, os sacrum. In hoc perverso situ, qui exploratione cognoscitur, saepe non comparent adnotabilia symptomata; sed interdum cruciant dolores in pelvi cum sensu ponderis in recto intestino; mingendi difficultas; regio vesicae tensa, et dolens; consistendo sensus ponderosi et duri corporis super vesicam, ex quo excitatur desiderium reddendi urinas, dum harum impeditur fluxus; sed cum hoc corpus procumbendo iterum ascendat, minore labore mingitur. Hysteralgia interdum oritur ab hernia uteri, seu hysterocele,

quae et in statu vacuitatis uteri, vel tem pore gestationis evenit. Raro vero vacuus uterus vel ab anulo inguinali, vel ab arcu crurali exit. Haec hernia praecipue cognoscitur a duritie, ab obliquitate vaginae, ab elevatione orificii uteri quod oppositum latus tumoris spectat. Etiam scirrhus uteri producere potest hysteralgiam. Viscus enim crescit quoad volumen, et durum fit, ejusque durities aliquando extenditur ad universam hujus substantiam. In ingressu morbi vix aliqua signa apparent; sed incipit dolor cum uterus mole augetur, aliaque prodeunt, ut molesta sensatio ponderis in regione hypogastrica, et tumor durus; os uteri exploratione majus et durius invenitur; super explorantem digitum insolitum sentitur pondus propter auctam visceris molem. Cum scirrhus occupet totum viscus gestationem mentitur, ni omnia attentissime perlustrentur. Potest etiam hydrometram simulare, scilicet collectionem serosi humoris in utero, tubis Fallopii, ovariis, vel ipsis ligamentis latis, rotundisque, sed deficiunt illa praecipua signa quae

patefaciunt hydrometram, ut fluctuatio aquarum; oedema pedum; imminuta urinarum secretio; flacciditas uberum; abdomen ad monstrosum volumen auctum, unde laboriosa respiratio; effusiones ex utero cumulati humoris; etc. Praeterea in diuturno cursu scirrhi uteri, ut plurimum fluit ex vagina muccus cum sanguine; in recursu menstruorum ingentes haemorrhagiae; oedemata; pulsus persaepe naturalis, sed interdum suscitatur febris. Frequenter etiam polypi, uteri hysteralgiam excitant. Polypus, est exuberantia carnosa pendens ab utero, aut ex vagina. Omni fere aetate germinat, sed frequentius media, provectaque. Ope colli alicui parti cavitatis uteri adhaeret, et variam offert magnitudinem. Interdum enim illam nucis non superat; interdum illam capitis foetus excedit. Etiam colli magnitudo varia est, nec illi massae polyposae respondet. Situs quoque adhaesionis variat, sed plerumque polypus adjicitur uteri fundo. Cum ille est magni voluminis ut plurimum solus est. Interdum internae superficiei uteri affigun-

tur duo aut tres polypi. Juxta polypi, aut polyporum magnitudinem augetur uteri cavitas, ut etiam illa vaginae, si in hanc polypus descendat. Illi polypi qui a Leuret appellantur vivaces non sunt nisi vegetationes, aut fungositates, quae ab uteri ulceribus proficiscuntur; sed veri polypi carnosi et duri sunt, solum quoad volumen, structuram, et sedem quam in utero occupant, dissimiles. Hi paullatim crescunt, et ad portentosum volumen perveniunt. Dum sunt in utero eorum figura ut plurimum rotunda est; extra vero sunt cono similes. Constat ab observationibus, plerumque polyporum structuram esse fibrosam; sed fibras esse implicatissimas, varii coloris, saepius albidas, rubras, luteas, compacto textu cellulari conjunctas. Ut plurimum vasa sanguinea invisibilia sunt; sed interdum deprehenduntur subtilissima. Nervi non adhuc detecti fuere, sed dolores qui excitantur, si polypi ligentur, suadent, eos non deesse. Non omnes vero polypi duri sunt; sed potius molles, et spongiosi. Quaevis autem sit eorum stru-

ctura, membrana involvuntur, quae ab illa uteri interna provenit. Haec membrana est plus minusve crassa; est levis, sed interdum venis varicosis conspersa; nec exulceratur nisi per externas caussas, et nisi polypi scirrhosi transeant in cancrum. Collum polyporum, quod progressu morbi augetur, variat quoad crassitiem et consistentiam. Differt consistentia quia aut formatur a sola muccosa membrana uteri, textu cellulari, vasisque; aut ab hac membrana et ipsa polyporum substantia. Prima structura collum elongatur, et fit subtilius donec augentur polypi, et a loco cui adhaerent descendunt; secunda structura servat crassitiem et longitudinem, quodvis sit polyporum volumen. Hoc fere semper oritur è superiore parte uteri inter orificia tubarum Fallopii. Inter initia morbi non comparent symptomata; sed cum polypus amplior fit, surgunt foenomena, quae nisi certa, probabilia saltem sunt. Agitant enim dolores, et tensio in regione hypogastrica, et inde distensiones ad renes, inguina, femora; menstruorum ir-

regularitas; ante aut post horum cursum fluxus sanguineus, aut saniosus; fluor albus; haemorrhagiae. Si morbus extendatur in dies, corporis habitus evadit cachecticus, nimirum vultus est pallidus, carnes flaccidae, et observantur oedemata. Dum adaugetur polypus, dilatatur uteri collum et orificium; ideoque in parte superiore vaginae comparet; et quia non tam agit in parietes uteri, tum minuuntur symptomata. Sensim descendit in vaginam, quam omnino, aut aliquam hujus partem occupat. Cum totam invadat vaginam, comprimit rectum, vesicae collum, et urethram, unde cursum urinae et faecum intercludit, et molestum assiduumque ponderis sensum affert. Si polypus exeat a vulva, interque coxas pendeat, secum uteri fundum trahit; facilius redduntur urinae, et faeces; sed remanent dolores, et etiam acerbiores fiunt, et copiosiores fluxus. Polypus qui vulva abscedit, sub specie carneae massae sese objicit, secumque ducit uteri fundum, et ideo hoc viscus plus vel minus pervertitur. Si haec perversio sit

parvi momenti sentitur polypi collum; sed si sit ingens, inferius est tumor major, indolens, durus, a polypo efformatus, superius est alter tumor minor, non tam durus, dolens, qui a perverso utero constituitur. Rariores sunt polypi, qui nascuntur in collo uteri, vel in margine hujus orificii. Hi intra vaginam evolvuntur, et augentur, et afferunt sensum ponderis super rectum intestinum, et perinaeum, et etiam dolorem, unde sedendi difficultas. Dum adsunt hujusmodi polypi vel mucus, vel serosus humor, vel sanguis effluit. Cum polypi adhaereant uteri cavitati digitus potest percurrere circumferentiam illorum colli; sed si adjungantur collo uteri digitus aliquod invenit obstaculum supra circumferentiam orificii, quod vel trahitur retro, vel ad laterales partes. Si quis vero polypus adjiciatur margini orificii, hoc dilatatur, et deformatur; pars colli cui admovetur tumor, elongatur, dum alia pars aut remanet secundum naturalem statum, aut elevatur; polypi radix confunditur cum parte colli uteri, cui adjacet. Si hi polypi

ad magnum volumen perveniant prolapsum uteri possunt inferre. Inter formidabiles uteri morbos, qui hysteralgiam pariunt cancer est, sive occultus, sive apertus. Si occultus immanem excitat dolorem in abdomine circa inguina, et lumbos; in regione uteri est tumor durus, renitens, inaequalis; per intervalla recurrunt dolores lancinantes, horribiles, quos motus, tactusque exasperant; deprehenduntur tubercula inaequalia, multam duritiem praeseferentia. In initio morbi pulsus est naturalis, sed in progressu fit frequens; amittit vultus naturalem colorem; et incipit consumpsio. Si autem sit apertus non deest fluxus dolorem atrocem, et continuum afferens materiei ichorosae, nigricantis, rufulae, saniosae foetidissimae; identidem fluit purus sanguis; dolores fiunt asperiores, si prematur abdomen. Haec sunt symptomata utriusque cancri; sed multa est horum varietas. Etenim in mulieribus, quae adhuc gaudent menstruis, horum irregularitate praenuntiatur morbus; nimirum menstrua sunt magis frequentia, et abundantia, aut

diu defluunt, aut contingunt profusae haemorrhagiae. Hae vero praesertim eveniunt in mulieribus, quibus jam menstrua defecerunt. Magnam haemorrhagiae dant suspicionem; nam si uterus exploretur, in hujus collo saepe saltem invenitur aliquis turgor. In quibus autem jam progressus sit morbus, comparet fluxus muccosus et sanguineus; non expletur coitus sine molestia, post quem effluit sanguis; urgent pungentes dolores in regione uteri, qui ad inguina, lumbos, femora, rectum intestinum, vesicam urinariam, unde oritur tenesmus, et difficultas mejendi extenduntur; est sensus ponderis, qui magis percipitur dum minus dolores affligunt; dum in aliis augetur fluxus muccosus ex vagina, in illis qui laborabant fluore albo hic supprimitur. Si hisce saevientibus symptomatibus non linquatur examen, clarior erit morbus. Si enim introducatur digitus in variis partibus colli uteri inaequalis invenitur renixus; nam aut illud est molle, aut durum, et orificium est magis solito reclusum. Si digito fiat aliqua pressio, ex-

citatur dolor, proindeque fluidum saniosum, aut sanguineum stillat. Morbus autem semper adaugetur, uteri collum fit magis inaequale, et saepe admodum ampliatur. Non raro habet formam fungi aut duri aut mollis, ex quo, si tangatur, facile plorat sanguis. Plures sunt depravationes quas cancer producit in uteri collo, quae proferuntur ad vaginam aut nimis restrictam, aut duras et scabras plicas referentem. Manet fluxus materiei icorosae, saniosae, foetidissimae; ferociunt magis dolores, unde vigilia; et omnia symptomata graviora fiunt. Si in hoc statu exploratio fiat, reperitur valde dilatatum orificium colli uteri; et digitus penetrat sicut in caverna. Aliquando uteri depravationes diffunduntur ad intestinum rectum, ad vesicam urinariam, ad vaginam, et etiam aperitur communicatio inter vaginam et rectum. Ubi ulcus est in cervice uteri, viscus fit durius et naturali amplius. Ulcus saepe ex cervice panditur ad fundum uteri, ex quo vastatur. Macies crescit in dies, color pallidus cutis, flacciditas carnium,

appetitus defectus, nausea, cruditates, virium dejectio, tristitia, diarrhoea, vomitus, pulsus debilis et frequens, sudores nocturni putidissimi, animi deliquia, convulsiones, oedemata, hydrops, mors. Uteri cancer ut plurimum occupat illius collum; sed interdum est in ipso utero, nec digito cognosci potest; verum fluit foetidus icor, excruciant dolores lancinantes, nec desunt alia signa, quae illum denotant. Non semper autem ulcera uteri cancerosa sunt, quamvis materia foetidissima, saniosa, cruenta ex vagina decurrat. Haec enim ulcera interdum veniunt post inflammationem uteri, interdum a venerea labe; non sunt tam extensa, et eorum superficies mollis est; minusque tactu sensibilis. Possunt vero cancerosa fieri, et tum non solum tactu sensibiliora sunt, sed etiam alia aperti cancri observantur symptomata. Promovetur etiam hysteralgia ab uteri calculis, qui admodum varii sunt, scilicet leves, asperi, albi, cineracei, obscuri, subflavi. Cognoscuntur tactu; specillorum ope; doloribus uteri, et lumbo-

rum; ipsius uteri sensu ponderis; habituali inquietudine; claudicatione; intolerabili vulvae pruritu, qui adigit ad scalpendum; fluxu ex vagina materiei purulentae; calculorum excretione, qui interdum in mortuis mulieribus reperiuntur. Non semper vero hujusmodi calculi afferunt uteri dolores, ut experientia confirmatur. Interdum enim fuerunt mulieres, quae sine dolore illos in utero portarunt. Sed ut plurimum ex intervallo agitant dolores; et interdum sub dolorum aggressu, et uteri contractione expelluntur calculi. Caussa autem irritationis impeditur excretio urinarum et faecum, et corporis motus nec liber est nec commodus. Si calculi sint circa uteri collum, illius orificium dilatatur, et digito, aut specillo depredenduntur. Siquidem calculorum observationes rarae sunt, quae sit eorum natura penitus ignoramus. Illi enim qui eos observarunt, nunquam principia, quibus componuntur, indagarunt. Datur etiam hysteralgia ab uteri ossea substantia, et a massa ossea in illius cavitate efformata.

Dum enim ossea materies in uteri substantia congeritur, torquere debent dolores, et alia symptomata, quae ab irritatione nascuntur; sic dum ossea moles in cavitate uteri fingitur. Sauvages Tom. II. pag. 124. 8. Hysteralgia ab osse, Edward Hody Philosoph. transact. Vol. 9. pag. 191. inquit = Mulier quae dudum laborabat dolore gravativo in regione uteri, necnon tussi, dyspnoea, difficultate mingendi, dolore inter dejiciendas feces, erat asthmatica a scirrho pulmonum; sed praeterea in utero inventa est substantia ossea, cujus iconem vide ibidem tabul. VIII. figur. 113. = Hysteralgia symptomatica non infrequens est illa, quae oritur a chronica inflammatione uteri. Sub hac mulieres patiuntur dolorem in regione hypogastrica, ut et ad lumbos, inguina, partesque superiores femorum; materies alba, et foetidissima labitur; tactu augetur dolor; menstrua fiunt irregularia; uteri volumen augetur. Haec symptomata non parum similitudinis illis habent, quae uteri cancrum indicant. Animadvertere ideo debemus,

quod in lenta inflammatione dolores non sunt lancinantes, nec comparent signa cancrosae diatheseos. Praeterea uteri collum, si tumefiat, molle est, nec in eo reperiuntur duritiae; materiei fluxus est male olens, sed nunquam saniosus. Tandem saepe hujus inflammationis imminuuntur symptómata, donec illa resolvatur. Non raro hysteralgia est symptoma difficilis menstruationis. Saepe in virginibus sanguineis singulis mensibus a difficili vel retardato menstruorum fluxu per aliquot dies excitatur dolor in regione hypogastrica, lumbis, et femoribus; interdum commovetur pulsus, et molestat nausea, inappetentia, motusque convulsivi. Etiam est nonnunquam symptoma affectionis hystericae cujus non absunt signa; nimirum dolor uteri spasmodicus; animi dejectio; fletus et risus sese excipiunt; frequens mictio urinarum limpidarum; animi deliquia; tremores; convulsiones; extremitatum frigus; etc. Hoc symptoma hysteralgiae interdum contingit in gravidis, quae dolore conqueruntur in hypogastrica regione, et in lumbis; dum vo-

mitionem, et anxietatem patiuntur; et aliquando commovetur pulsus. In gravidis vero circa quartum mensem crebro dolor non in hypogastrio, sed in inguinibus vexat, praecipue noctu, et per intervalla; et ob nimiam rotundorum ligamentorum distractionem claudicant mulieres. Puerperae tempore secretionis lochiorum saepe per aliquot dies uteri dolore laborant, sunt inquietae; sed redit quies; nam fluunt lochia, vel exeunt grumi sanguinis ab utero. Hoc viscus tenditur sub doloribus, et adest inappetentia; sed si dolores imminuantur, et longiora fiant intervalla quietis, mollescit uterus, manat utilis sudor, redit appetentia et somnus. Est hysteralgia etiam symptoma febrium perniciosarum. Etenim ut in aliis perniciosis aggreditur dolor in partibus sensibilibus, sic interdum in utero; nec alia deficiunt symptomata, quae ostendunt indolem perniciosam febrium, ut sunt spasmi, animi deliquia, vomitiones, lingua sordida, urinae lateritiae, et alternis diebus recurrunt. Uteri dolor oritur aliquando ab her-

petica materie, quae ad illum transfertur. Tum praeter indicia herpeticae diatheseos, dolor qui extenditur ad vaginam; ardor, rubor, pruritus ad vaginam ipsam, in qua subinde surgunt herpeticae pustulae; desiderium scalpendi, et venerea tentigo adnotantur.

§. 2019. Caussa proxima hysteralgiae est vasorum, et nervorum uteri irritatio. Ad hanc praeparant temperamentum robustum, et plethoricum, aut debile, nimiumque sensibile; vitae genus; quaedam pravae humorum conditiones. Caussae excitantes sunt qualitates ciborum, et potionum; materiae acres, quae feruntur ad uterum; nonnulla animi pathemata, ut tristitia, et ira; violenta corporis exercitatio, aut desidia; lapsus, ictus etc. Cum autem hysteralgia sit symptomatica aut secundaria producitur, ut vidimus, a plurimis morbis, et saepe cognoscitur etiam ratio, unde ab istis efficiatur. Etenim si contingat uteri prolapsus, dum ille a naturali sede dimovetur, ansam praebet dolori, aliisque symptomatis. Hoc prolapsu non raro

laborant mulieres, quae habent amplam pelvim, et partes molles et laxas ob frequentes et laboriosos partus. Sic si eveniat inversio uteri post partum, cum ejus fundus format vastum tumorem in vagina. Haec inversio in statu vacuitatis uteri impossibilis videtur ob parietum soliditatem, colli duritiem, et orificii resistentiam, praesertim in mulieribus, quae nunquam pepererunt. Sunt tamen qui asserunt, hanc inversionem in puellis vidisse, et in mulieribus nuptis vacuitatis tempore. Sic dicendum de retroversione uteri, quae ut plurimum tribus aut quatuor gestationis mensibus usuvenit, et de anteversione, quae rara est tempore gestationis, non difficilis illo vacuitatis. Naturalis uteri mobilitas, et directio talis est, ut in omnibus fere mulieribus collum retro, ante fundus inclinet; sed haec uteri remotio, quae exploratione cognoscitur, non affert mala. Uteri scirrhus aut oriatur ab inflammatione, aut a cessantibus catameniis circa quadragesimum tertium, vel quadragesimum quintum aetatis annum, aut ab il-

lis subito repressis, aut ab externis caussis, interdum pervenit ad spectabilem magnitudinem, et malignus fit, ideoque affligit dolor. Horrendi autem esse debent dolores ubi substantiam uteri evertit cancer, aut proveniat a scirrho; aut ab intemperanti coitu, et venere vaga; aut mastrupatione. Si hysteralgia nascatur a retentis, vel laboriosis, vel retardatis menstruis, caussa est vasorum uteri distractio, quae efficitur a sanguine, qui ab ipsis vasis fluere non potest. In febribus intermittentibus perniciosis uteri dolor proficiscitur ab eadem caussa, quae alios nervos afficit. Accidit hic dolor in affectione hysterica, cum uteri nervi magis irritentur. Tempore gestationis suscitatur hysteralgia vel a vasorum uteri plenitudine, vel ab ipsius distentione, vel a ligamentorum rotundorum distractione. Post partum autem ab ipso fluxu lochiali, aut a retentis lochiis, aut a grumis sanguinis. Calculi, quaevis sit eorum caussa; substantia uteri quae fit ossea, vel terrea; moles ossea in cavitate illius; materies herpetica quae transiliat in ute-

rum, sunt totidem irritantes caussae, quae dolores visceris necessario debent afferre.

§. 2020. Hysteralgia primaria interdum est fugax, interdum pertinax, interdum gravis, interdum periodice redit. Haec varietas, dependet a natura caussarum, quae aliquando tales sunt, ut morbus transeat in inflammationem uteri, quae periculo plena est. Etiam hysteralgia symptomatica est plus vel minus gravis, secundum naturam primarii morbi. Prolapsus uteri extra tempus gestationis non est periculosus, et interdum mulieres hoc persistente diu vivunt sine alio incommodo. Si prolapsus eveniat primo gestationis tempore, facilis est reductio; mox vero difficilis, et interdum impossibilis. Inversio uteri est gravissimus morbus, et etiam lethalis; sed interdum hac mulieres longam ducunt vitam, et sine gravibus laboribus. Periculosa est etiam retroversio, sed plus vel minus discriminis dependet a gradu retroversionis istius, tempore quo evenerit, et inclusione visceris inter pelvis ossa. Subinde intercluditur urinae, et faecum exitus; ute-

rus, intestinum rectum, et vesica inflammatur, et intra paucos dies aegra moritur. Anteversionem quae plerumque tempore vacuitatis accidit, non comitantur gravia symptomata; sed non semper est sine periculo. Magis instat discrimen, si forte occurrat in gravidis. Uteri scirrhus ut plurimum non resolvitur; cancer est funereus. Varia autem est polyporum sors. Qui enim nascuntur a collo, vel a circumferentia orificii uteri non in tantum adducunt discrimen, ut qui ab illius cavitate efferuntur, et quidem quo magis latent, quoque magis augentur, nec in vaginam descendunt. Qui enim in hanc desiliunt, quorumque collum elongatur; a ligatura, quae non fit prope illius insersionem, non producitur uteri inflammatio. Polypi qui è vulva excedunt facilius ligantur, et secantur; sed horum polyporum exitus saepe sociatur inversioni uteri, quae periculosa est; et dum fit ligatura, comprehendi potest aliqua uteri portio, quod affert lethalia symptomata. Quamquam plura animadvertenda sunt, ut cognoscamus

horum polyporum fortunam, tamen salus ab arte solum speranda est. Sunt exempla, quae confirmant, naturam ab hisce polypis liberasse ab utero in vaginam descendentibus, cum praesertim uteri collum strangulet illud polyporum, unde cadit, et ab ejus adhaerentiae puncto divellitur, quod vero rarissime obvenit. Calculi interdum egrediuntur ab utero, sed si plures sint, qui remanent laedere possunt illius parietes. Sic hydatides fauste interdum expelluntur; sed ut plurimum ex istis valde tumet abdomen, et graves excitantur uteri dolores. Conversio uteri in osseam vel terream substantiam metuenda est, siquidem lentae phlogoses proficiscuntur. Si hysteralgia veniat a menostasia, plerumque sequitur sanatio, dum natura aut arte restituuntur menstrua: si ab hysterica affectione persaepe vincitur, sed facile redit: si a gestatione sponte evanescit, aut medicamentis sedatur: si ab imminutione, aut a retentione lochiorum, horum fluxu solvitur: si a febribus perniciosis, usu peruviani corticis feliciter saepe curatur: si

a materie herpetica, uterus inflammari potest: si a lenta phlogosi, periculosa est.

§. 2021. Si hysteralgia primaria sit, curatio pellere debet caussas; si symptomatica, primarios morbos. Si itaque oriatur a prolapsu uteri, hic in situ reponendus est, et in hoc conservandus. Repositio in prolapsu incompleto facilis est, difficilis in completo, maxime antiquo. Cum uterus repositus fuerit, adhibendi sunt modi, ne iterum prolabatur, quos chirurgia docet. Etiam pro inversione uteri fiat reductio, quae erit expeditior, quo magis illa recens, et dum incompleta est. Sic pro retroversione oportet uterum in naturali positione reducere et in hac servare. Restitutio est facilior, si retroversio sit recens; difficilior si non recens, et uterus inter ossa pelvis includatur. Eaedem indicationes sunt in anteversione uteri, scilicet hic in suo reponatur situ, et in hoc conservetur, et aegra decumbat ventre in caelum verso. Si autem hysteralgia nascatur a polypis, plures sunt methodi ad hos auferendos, ut caustici,

sectionis, torsionis, ligaturae. Caustica vero periculosa sunt, ideoque repulsa. Sectio raro fit ob difficultatem inducendi instrumenta quo incidi debeat; ob periculum propinquas sanasque partes laedendi; et ob timorem ne coerceatur haemorrhagia. Tamen interdum sectio feliciter fuit peracta. Bene etiam cessit tortio; sed est periculum partem uteri contorquendi, cui polypi radix adhaeret. Ligatura ergo fit vel cum polypus exiverit a vulva, vel cum tumor est in vagina. De variis autem modis, quibus ligatura perficitur, chirurgia versatur. Pro scirrho uteri tentanda est resolutio, praecipue si recens sit, sed caute. Curatio autem cancri alia generalis est, alia specialis. Prima consistit in usu lactis, et ubi hoc tolerari non potest, dentur decoctiones ex carne vituli ranarum, pulli, et hordeo Germaniae; in abstinentia a vino, alimentis stimulantibus, et salsis, ab usu veneris; in refrigeranti diaeta, et potionibus ex decocto hordei, florum malvae, althaeae; in balneis, et semicupiis; in injectionibus demulcentibus in vaginam, ut

ex lacte, decocto hordei mundi, infuso florum malvae, violarum, etc, Ad flectendam autem dolorum ferociam, detur extractum hyoscyami, et cicutae; sed si dolores perseverent, confugiendum est ad opium, et ad hujus praeparata, quae meliora ducantur. Fieri etiam possunt injectiones in vaginam ex decocto foliorum cicutae, et hyoscyami. Curatio autem specialis, si cancer sit recens, respicit caussas. Si ergo caussa sit venerea lues, mercurialia; si retrocessio herpetis, aut aliarum impetiginum, curandum in primis est, ut hujusmodi morbi ferantur ad propriam sedem; etc. Si vero cancer sit vetus, fieri debemus, ut retardetur progressus morbi, et placentur praecipua symptomata, inter quae sunt saevi dolores. Si superveniant effraenae haemorrhagiae ad horizontem locetur aegra; exhibeantur potiones adstringentes, acidulae; fiant injectiones ex decoctione rosarum; diaeta sit refrigerans. Nostris temporibus nonnulli faciunt extirpationem cancri uteri. Sed quis non videt quam haec operatio sit rationi

repugnans, crudelis, audax? Ubi cancer est in uteri collo, proposita fuerunt caustica. Distendunt vaginam ope tubi metallici curvi, ut deprehendi possit collum, et caustica admoveri, quin laedant vaginam. Nescio qui fuerit horum remediorum exitus; sed ratio non potest haec comprobare. Si hysteralgia producatur a calculis, curatio varia est pro varia forma, loco quod ipsi occupant, et symptomatibus. Si calculi non perturbent functiones, et identidem erumpant ab utero, oportet horum exitum obsecundare balneis et semicupiis tepidis, fomentationibus et injectionibus emollientibus. Diaeta non sit exstimulans. Verum si calculi inducant gravia symptomata, observandum est, quae sit eorum forma, et volumen, et an sint adhaerentiae. Etenim si calculus sit ingens, inaequalis, uteri parietibus adhaerens, si hunc extrahere velimus, afferre possumus periculosas lacerationes; quod etiam eveniret, si uterus hunc arcte complectatur. Extractio tentanda est cum calculus non est magnus, nec adhaerens, quod apto instru-

mento cognoscitur. Si haec extractio fiat, quodvis sit instrumentum interdum producitur effusa haemorrhagia, quae comprimi debet liquidis adstringentibus applicitis, et frigidis injectionibus. Dum uteri substantiam in osseam vel terream vertitur, non aliud fieri potest quam mollire symptomata, praesertim dolores. Si in utero sint hydatides, proponitur incisio, quae ut plurimum perfici non potest, quia plures sunt hydatides, et talis est earum situs, ut impossibilis sit haec operatio. Urgentibus doloribus fiant fomentationes, balnea, et semicupia: deinde detur aliqua purgatio, et diuretica. Si moveatur hysteralgia a difficili, aut retardato fluxu menstruorum, juvat sub ipso dolore sanguinis missio; fomentationes et clysteres emollientes; balnea, et semicupia tepida; anodyna; infusio capilli veneris, et croci orientalis; et aliqua levis purgatio. Si primarius morbus sit hysterica passio, prius remedia sunt sedantia, et antispasmodica, postea quae nervos roborant. In gravidis si dolores sponte cessant, saepe expedit ve-

nae sectio; aliquod leve purgans; clysteres emollientes, ut aperta servetur alvus; aptaque alimenta. Si hujusmodi dolores oriantur a difficili lochiorum fluxu, hic est promovendus fomentationibus tepidis et emollientibus super hypogastrium, et ad partes pudendas; hisce etiam applicentur hirudines; potiones sint tepidae, et diluentes. Lenta uteri phlogosis aegre solvitur, tamen sedula opportunaque curatione haec obtinetur resolutio. Etenim fomentationes, et semicupia tepida; applicatio hirudinum; usus prudens digitalis purpureae; mercurialia aliquando utilia reperiuntur. Tandem si materies herpetica transvehatur ad uterum conveniunt calida balnea; decoctiones edulcorantes et diureticae; topica emollientia; vesicantia, praesertim illis locis applicita, in quibus erat herpes. Saepe vero propter vehementiam doloris et inflammationis periculum, praemittenda est sanguinis missio, et injiciendi sunt clysteres emollientes, ut alvi libertas conservetur.

GENUS TRIGESIMUMQUINTUM

Proctalgia

§. 2022. Proctalgia est crudelissimus dolor extremitatis recti intestini, ut nomen ipsum declarat. Etenim πρωκτὸς est podex ἄλγος dolor. Quae a Nosologis describitur, symptomatica est, ut plurimum proficiscens a morbis ipsius podicis. Primaria rara est, tamen hanc observare mihi contigit; ideoque qualem vidi, ejus imaginem describam; et ex hac descriptione intelligitur, quam ipsa sit rebellis et exitiosa. Rectum intestinum inferiori parte vaginae, aut vesicae urinariae adnectitur; ejus fibrae carneae maxime longitudinales, a quibus coli ligamenta producuntur, sunt valde crassae et robustae; ita fere fibrae transversae, quae ordinantur in formam circuli ad hujus intestini finem, qui appellatur sphincter, cui duplex est stratum exterius et interius. Hujus vero sphincteris circumferentiae inseruntur carneae

fibrae ossibus ilium , ischii , pubis, et coccygis venientes, quae musculi levatores ani dicuntur. Carnosae recti tunicae succedit nervea satis robusta , et villosa , quae constituit rugas , speciem valvularum super sphincterem referentes. Plures autem sunt nervi , qui ad rectum feruntur , scilicet a plexu colico sinistro , ab infimis intercostalibus , et ab illis ossis sacri. Si haec consideretur structura comprehenditur quomodo ab actione caussarum morbosarum possit spasmis laborare rectum intestinum ; tamen interdum podex vehementioribus exercetur spasmis , quia cutis , quae ani marginem constituit , est valde nervosa , et sensibilior.

§. 2023. Proctalgia primaria est immitis spasmus , ut plurimum periodicus, qui declinante die occupat podicem. Corripit saepius pueros, interdum adultos , qui aliquando per longum tempus , imo per plures annos crudeliter plectuntur. Dolor qui aggreditur circa vesperam ad extremitatem recti , crescit quoad intensitatem usque fere ad mediam noctem ; post imminuitur ,

et cessat adveniente aurorae lumine. Tanta est agitatio, quae venit ab hoc dolore, ut aegrotantes mordeant lecti lintea, et ad desperationem adigantur, nec possunt aliquam habere quietem, nisi prope novam lucem. Hinc multa est virium debilitas, pallescit vultus, corpus consumitur. Interdum vero non hanc habet periodum, praesertim in hominibus aetate provectis, quamvis vespere exacerbantur dolores, qui matutinis horis remittuntur. Tum propter continuitatem spasmorum rectum intestinum interdum inflammatur non solum versus ejus finem, sed inflammatio ad partes superiores extenditur, et suscitatur acuta febris. Dum praeter modum exasperantur dolores non solum non capitur somnus, sed etiam superveniunt convulsiones; et dum morbus est diuturnus, faciei color fit violaceus, consumitur corpus, et tandem vitae finis. In recens natis datur proctalgia parvi momenti, cum proveniat ab acrimonia urinarum quae in plicis circa podicem irritationem, ruborem, dolorem, et excoriationem producunt. In pueris vero gra-

vior est, et saepe periodica, et non evanescit, nisi advenientibus adolescentiae annis. In adultis gravissima est, et propter immanitatem symptomatum saepe lethalis.

§. 2024. Si proctalgia sit symptomatica, symptomata aliorum morborum plerumque evidentia sunt. Si ideo sit symptoma inflammationis ani, cognoscitur a tumore, calore, dolore acuto affectae partis; febre; et difficultate ejiciendi faeces: si ani fistulae, adsunt ulcera sinuosa cum callosis marginibus, quae anum obsident, et in rectum vel vicinas partes protrahuntur, quod ope specilli deprehenditur: si rhagadum, molestant ani dolores, cernuntur scissurae ad ani marginem sine tumore, ut sunt quae hiemis frigore offendunt labia; affligit tenesmus, ex quo dolores intensiores fiunt: si haemorrhoidum, hae aut externae sunt lacessitae et tumidae, quae sub oculis cadunt, aut internae, quae sub tenesmo saepe exeunt, et post tenesmum vel intra redeunt, vel extra manent, et propter vehementem sphincteris contractionem strangulantur; si internae haemor-

rhoides non egrediantur, tactu possunt comprehendi, si nimirum in rectum intestinum introducatur digitus: si exaniae apud infantes, seu prolapsus intestini, aspicitur oculis irritatio intestini ipsius, quae a frequenti prolapsu, aut ab alia ratione producitur: si diarrhoeae, potissimum biliosae, urget dolor urens et ingens in podice cum ardoris sensu. Si autem proctalgia sit secundaria, quae sit cognoscitur ab antecedentibus morbis, vel ab aliqua materia morbosa, quae ad recti intestini extremitatem transmittitur, unde fit dolens, pruriginosa, rubra, excoriata. Si translata materies herpetica sit, inter alia symptomata pruritus maximus excruciat.

§. 2025. Caussa proxima proctalgiae est violentissimus spasmus. Ad hunc horrendum morbum compositi sunt debiles et sensibiles pueri, et homines melancholici, et ab animi deprimentibus pathematibus ejecti. In recens natis caussae excitantes sunt pravae lactis qualitates; improbi genitricis humores; urina dum in plicis et rugis extremitatis recti intestini immoratur:

in pueris diuturna in scholis sessio; assidua studia; habitatio in locis insalubribus: in adultis infortunia; affligentes animi affectiones; vita sedentaria. Plures autem sunt morbi, qui ut vidimus possunt proctalgiam gignere. Saepe cancer ad podicem oritur a malignis rhagadibus, ab ulceribus cancerosis, exuberantiis pessimae indolis, quae carcinomatosam indolem adipiscuntur, unde dolores lancinantes cum pruritu, duritie, fluxu materiei acris, ichorosae; et haec symptomata in dejiciendis faecibus magis molestant. Fistulae ani saepe nascuntur ab inflammatione, suppuratione, haemorrhoidibus suppuratis et dolentes sunt. Ani rhagades frequenter ab indole prava sanguinis producuntur, et magnum afferunt dolorem. Crebro intestini prolapsus non dolet; sed si hic frequens sit, illud irritatur et inflammatur. Quisque autem scit quam saepe haemorrhoides doleant, irritentur, inflammentur, et in suppurationem abeant. Hujusmodi irritationes et inflammationes ad extremitatem recti intestini oriri possunt a diarrhoeis, praeser-

tim biliosis; a tenesmo, scilicet a frequenti et inani dejiciendi nisu; a materia herpetica, venerea, podagrica; a vermibus; praesertim ab ascaridibus rectum fere degentibus.

§. 2026. Aliquando proctalgia primaria non est gravis morbus; aliquando vero pertinax, et etiam lethalis. In recens natis ut plurimum est levis, quippe munditie, et mutatione lactis feliciter curatur. In pueris saepissime proctalgia periodica est, plus vel minus circa vesperam molesta, quae adveniente adolescentia imminuitur, et evanescit. Hoc vero non semper evenit, et ubi evenit in virili aetate aliquis illius accessus remeat, sed plerumque clysteribus emollientibus tepidis, et levibus et refrigerantibus purgantibus abigitur. Indomita proctalgia et ferox est in adultis. Etenim intolerabiles dolores perturbant functiones, auferunt somni quietem, maxime debilitant, absumunt corpus, excitant febriculam, convulsiones, et mortem. Aliquando inflammatio a podice per rectum intestinum extenditur, quod postea exulceratur, et gangraena afficitur. Curavi opti-

mum virum beneficiarium Nobilissimi Capituli Divi Petri, sexaginta octo circiter annos natum, corpore pingui, laxo, et temperamento melancholico praeditum, qui caussa deprimentium animi pathematum correptus fuit horrendo dolore ad podicem, qui per plures menses crudeliter eum excruciabat, sine fere ulla remissione, et omnibus remediis generalibus et localibus resistebat, dum non aliud nisi ruborem affecta pars ostendebat. Plures praeclarissimi professores in consilium vocati institutam curationem unanimiter comprobarunt, nimirum levia purgantia, semicupia, et balnea tepida, potiones refrigerantes, tenuem victum, applicationes hirudinum, et emollientium, etc; sed omnes existimarunt, aegrum ad aërem salubrem rusticanum respirandum mittere, et ideo electus fuit suburbanus Tusculi mons, utpote saluber, et urbi proximior, ubi sine ullo emolumento per aliquot menses constitit; imo dolores ferociores facti iterum ad urbem sese restituit. Post tandem tot diuturna et immania tormenta in-

flammatur intestinum rectum, suscitatur febris vehemens; deinde cum gangraena sequuta fuerit, frigescunt extrema, vultus fit lividus, halitus friget, et aeger expiravit. Proctalgia autem symptomatica modo levis, modo gravis est. Etenim si nascitur ab inflammatione recti intestini anceps est, quia non semper inflammatio resolvitur. Proctalgia cancerosa est morbus admodum dolens, et fere semper insanabilis. Ani fistulae chirurgica operatione sanantur, sed interdum non facile, praesertim ubi in rectum, vicinasque partes serpunt. Rhagades, praesertim si benignae sint, internis remediis et chirurgicis auxiliis expelluntur. In pueris delapsum intestinum facile reponitur. Proctalgia ab haemorrhoidibus molesta est, et pertinax, sed recta curatione vincitur. Sic dicendum de illa quae a tenesmo, diarrhoea, vermibus, et herpete producitur.

§. 2027. Cum proctalgia primaria sit, curatio dirigitur secundum caussas. Si in recens natis caussa sit pravum lac, optima nutrix est eligenda: si urinarum acrimonia, summa servetur mundities, et

frequenter eluatur affecta pars. In pueris saepissime inutilia sunt medicamina, et plus natura quam ars potis est ad edomandum morbum, scilicet accedentibus adolescentiae annis. Nihilominus maximum levamen afferunt clysteres emollientes, suffitus ex aqua calidissima in anum recepti, semicupia, balnea tepida, applicatio emollientium, et identidem aliqua purgatio; sed super omnia rusticatio. Haec etiam juvant in adultis, quaevis sit morbi caussa; sed in istis pernecessaria est animi quies, temperata corporis exercitatio, victus levis, et nutriens. Si vero immineat inflammatio, aut jam occupet rectum intestinum, instituendae sunt sanguinis missiones; victus sit tenuissimus; fiant fomentationes emollientes applicentur cataplasmata ex pulpa cassiae; clysteres ex decoctionibus malvae, aut hordei injiciantur. Si haec inflammatio in suppurationem transeat, cito aperiendus est abscessus, et detergendus, ne pus producat fistulas. Cum autem proctalgia symptomatica sit, modo curatio ad medicinam, modo ad chirur-

giam pertinet. Si sit inflammatoria, vidimus quomodo curari debet, ut et si abeat in suppurationem. Fistulae vero exposcunt chirurgicam operationem, ut callosum ulcus in vulnus simplex commutetur. Si proctalgia sit cancerosa sine ulla complicatione, generatim blandum sit regimen, et alvus servetur libera; per cannulam gummi elastici, quae super stricturam penetret, immittatur liquidum mucilaginosum; identidem porrigatur aliqua levis purgatio, maxime si alvus dura sit; interius detur opium, et per injectiones inducatur in rectum, ut sedentur dolores, cieaturque quies. Dolores etiam minuuntur recenti butyro et unguentis ex lithargyrio paratis. Curatio igitur hujusce morbi palliativa est. Si vero sit aliqua complicatio, etiam alia eligi possunt opportuna remedia. Si primarius morbus rhagades sint, distinguendum est quae ipsae sint, quaeque earum caussae. Interdum enim rhagades sunt benignae, nec tam dolentes, et tum sufficiunt victus refrigerans, et non exstimulans; potiones quae non sint calidae; au-

xilia ad imminuedam faecum consistentiam; alia quae temperent ani calorem, molliantque dolores; vapores aquae calidae, et clysteres emollientes; semicupia, et balnea; applicatio hirudinum; injectiones narcoticae; unguentum compositum ex opio. Saepe vero haec remedia inutilia sunt; ideoque conveniunt in primis remedia interna, quae meliorem reddant conditionem humorum; deinde illa chirurgica. Excogitavit Boyer incisione fissuram in vulnus simplex reducere. Hanc eandem incisionem tentavit ubi nulla erat fissura, sed constrictio dumtaxat spasmodica, et felicem obtinuit effectum, ut Tom. X. de morbis chirurgicis et operationibus pluribus exemplis, et observationibus confirmavit. Prolapsus recti intestini familiaris est infantibus et pueris debilibus, aut vermibus et diarrhoea affectis; interdum adultis evenit, qui dysenteria, tenesmo, aut urinae retentione laborant. Cum morbus est recens, parvique momenti, sanitatem non laedit, et levi digitorum pressione ad sedem restituitur intestinum. Haec vero re-

stitutio prompta sit, ne augeatur morbus, frequentior fiat, et paullo post reductionem iterum delabatur. Si prolapsi intestini tumor remaneat, membrana muccosa actione aëris, et fricatu irritatur, unde ejus volumen augetur, fungosa fit, et exulceratur, nec amplius reduci potest. Prolapsus intestini in pueris facile curatur; non sine negotio in adultis, maxime si haemorrhoides, aut tenesmum patiuntur; raro autem in senibus sanabilis est. Curatio prolapsus dissimilis est, pro varia aetate, rebusque circumstantibus. Cum est recens, et post egestiones intestinum sponte rursus ingreditur, aut levi pressione, sufficiunt frigida semicupia; fomentationes et injectiones roborantes, et adstringentes ut ex decoctionibus radicum tormentillae, vel corticis granati; vini simplicis, vel cum istis decoctionibus lotiones. Si vero post egestionem semper contingat prolapsus, nec sponte rursus intestinum introgreditur, blanda reductio fiat, ne membrana muccosa actione aëris, et illa sphincteris irritetur. Quomodo autem peragatur

reductio, et retineatur intestinum, ne post illam iterum egrediatur, chirurgia docet. Cum autem illud nullo modo contineri possit, membrana muccosa fit fungosa ulcerosa, et gemit pus, aut acre serum cum sanguine, et ideo ne adveniat corporis consumptio, aliquid audendum est, ut plerumque tumoris excisio, et interdum applicatio igniti ferri. Quae autem sint remedia ad haemorrhoides, vermes, diarrhoeam, herpetem, alibi dictum est.

GENUS TRIGESIMUMSEXTUM

Anaphrodisia

§. 2028. Anaphrodisia, ἀναφροδισία, est defectus naturalis libidinis, quae ad amplexus conjugales invitat. Qui hac orbatur dicitur ἀναφρόδιτος. Ex anaphrodisia venit sterilitas, quae non est cum illa miscenda, et quae non a defectu libidinis sed a morbosis caussis habet originem, etsi hujusmodi caussae interdum

fere similes sint. Haec affectio tam in hominibus, quam in foeminis usuvenit, quamvis in illis frequentius ; et modo primaria , modo symptomatica est. Illa contingit in hominibus cum fertilis seminis deficiat stimulus , aut penis sensibilitas , unde locum non habet erectio. In foeminis etiam desit partium sensibilitas , unde oestrum venereum , seu stimulum amatorium nen sentiunt; et ideo etiamsi coitum ineant , deficit partium generationis reactio , unde ejaculatum semen facile extra vulvam labitur. Anaphrodisia symptomatica producitur ab aliquo morbo , ut in hominibus a paralysi musculorum erectorum qui dicuntur ischio-cavernosi ab ultimis paribus ossis sacri nervos recipientes ; in foeminis a fluore albo. Primaria esse potest congenita , quae scilicet a peculiari corporis constitutione , organorumque genitalium dependet: accidentalis cum oritur a caussis accidentalibus , quae debilitant , aut auferunt vitales vires horum organorum , ut ex. gr. ab inflictis verberibus : perfecta cum stimuli libidinis omnino non

percipiuntur, unde in hominibus nulla est penis erectio; in foeminis nullum ad coitum incitamentum urget: imperfecta cum languide, et solum aliquo anni tempore tentat stimulus amoris, quo non perfecte coitus celebratur: traumatica, si ab externis caussis, seu lesionibus, ut sunt lapsus, ictus, verbera super dorsum et os sacrum illata, producatur.

§. 2029. Sani homines naturalem habent propensionem ad venerem, et propagationem speciei, statim ac organa genitalia tempore adolescentiae pervolvantur. Haec propensio non ut in pleraque animalium parte periodica est, sed ratione solum aetatis est plus vel minus vehemens. Etenim in adolescentia, et juventute est ardens; in virili aetate imminuitur; in senectute extinguitur, et si qua remaneat, est potius effectus habitudinis, et effraenatae luxuriae, quam corporis vigoris, et necessitatis. Sunt tamen homines, qui hanc propensionem non sentiunt, etsi bona fruantur valetudine, idcirco nuptias non concupiscunt. Hi vero aut non secernunt sper-

ma, aut hoc non pollet stimulanti vi, unde penis erigitur; aut horum partes genitales sensibilitate privantur. Sic sunt mulieres, quae maritale conjugium non expetunt, quia uterus, et ovaria necessario orbantur incitamento.

§. 2030. Ex dictis patet quae sit caussa anaphrodisiae proxima, nimirum defectus conditionum ad percipiendos stimulos amoris, praecipue vitales vires in generationis organis deficientes, aut imminutae. Illi homines sunt ad anaphrodisiam comparati, qui sunt debiles, obesi, inertes, ut a quibusdam deducitur signis, scilicet a defectu barbae, a labiis pallidis, a voce non viriliter sonora, a flacciditate musculorum. Ita ad hunc morbum disponuntur mulieres obtusa organorum genitalium sensibilitate praeditae, et vivida imaginatione carentes. In his vero non comparent signa, quae hanc dispositionem demonstrant; sed interdum ipsi viri cognoscunt, nullam sub coitu esse in istis sensibilitatem, unde spem habendi prolem demittunt. Non autem fides habenda est mulieribus nullam in coi-

tu voluptatem habere asserentibus, ex quo tamen liberos procreant. Ut plurimum hae mulieres mendaces sunt, quae hoc modo student incorruptas et fideles existimari. Caussae excitantes anaphrodisiam aliae in utroque sexu feruntur ab ortu, ut defectus sensibilitatis organorum genitalium; aliae fortuitae sunt, ut assidua studia; lucubrationes; deprimentia animi pathemata, ut tristitia, odium, ambitio; praegressum mastrupationis vitium, aut intemperata venus, aut nimio impetu exercita. De hac caussa possum adnotabile exemplum referre. Juvenis circa triginta annos natus, robure insignis, cum mulierem lascive amplecteretur, quam ardenti studio cupiverat, tam inopino et vehementi spasmo penis correptus fuit, ut prae dolore in terram lapsus ab amasia horribilem in modum perterrefacta mortuus fuerit habitus. Resoluto vero hoc crudeli spasmo regrediebatur vitae spiritus; sed quoad vixit perfecta anaphrodisia, penisque paralysi laboravit, quamvis in usum vocata fuerint efficaciora remedia, quae nullam uti-

litatem attulerunt. Nimis enim imaginatio vivax, et coitus nimis vehemens propter ingentem affluxum sanguinis ad arterias penis producit maximam distensionem cellularum corporum cavernosorum, balani, et urethrae textus, maximamque penis ipsius rigiditatem, ex qua progigni potest dolentissimus spasmus, quem nervorum resolutio, et musculorum erectorum paralysis excipiat. Inter mulieres obscoenae tribades ob turpem et frequentem affrictum partium genitalium non raro in anaphrodisiam incidunt; interdum etiam illae, quae in possessionem alicujus peroptati amantis venire non potuerunt. Hae enim non solum quoad alios homines in anaphrodisiam, sed etiam in illorum fere odium corruunt. Cum anaphrodisia symptomatica sit, nascitur quidem a pluribus morbis, sed in hominibus ut plurimum ab illis soporosis; in mulieribus a diuturno fluore albo. Animadvertendum vero est quod a Nosologis describuntur quaedam anaphrodisiae species, quae non sunt nisi morbosae sterilitatis caussae. Sauvages recenset anaphrodi-

siam a mariscis, et hanc mulieris historiam narrrat Tom. I. pag. 771. = Impotentia coeundi ab haemorrhoidibus in muliere, quae conjugis amplexus tolerare non poterat, ob dolorem vaginae a mariscis internis oriundum, et in coitu tantum incommodum. = Quis non videt, in hac muliere non deficere veneream sensibilitatem, in qua praecipue anaphrodisia consistit, sed illam abhorrere coitum caussa doloris, qui sub coitu ipso ab internis haemorrhoidibus excitabatur. Sic numerat anaphrodisiam ex urethrae vitio, quod est vera sterilitatis caussa.

§. 2031. Anaphrodisia, quae oritur a constitutione corporis, et a caussis congenitis, ut plurimum insanabilis est; quamvis interdum corpus, et organa generationis majus robur, et necessarias ad procreandam prolem conditiones adipiscuntur, ita ut qui prius stimulos amoris non percipiebant, sensibiles fiant, et ad coitum propensi: quae vero a caussis accidentalibus, videndum quae ipsae sint, et an anaphrodisia perfecta vel imperfecta sit. Si enim caussae gravissimae sint, et anaphro-

disia perfecta, haec est medicamentis major, ut patet ab enarrata historia; si vero caussae sint mitiores, et imperfecta anaphrodisia, recuperari potest sensibilitas, et conditiones ad absolvendum coitum necessariae, ut ab historia, quam loc. cit. ita exposuit Sauvages, deduci potest. = Adolescens Rhaetus, salax antea, hoc morbo ab aliquot annis laborans, sensus venerei et motus erectionis omnino incapax; immerso aliquoties pene intra decoctum seminis sinapis eum sanavit. D. Chaptal. = Saepe anaphrodisia imperfecta juvenili aetate remanet in eodem gradu; sed progressu temporis perfecta fit. Cum vero symptomatica, judicanda est insanabilis, si primarius morbus plus valeat quam ars, ut saepe sunt soporosi morbi; contra sanabilis, si primarius morbus medicamentis subigi potest, ut fluor albus in mulieribus. Si tandem traumatica sit, praesagium trahitur ab ipsis externis injuriis, quae modo graves, modo leves sunt.

§. 2032. Si morbus a constitutione proveniat, omnis fere curatio supervaca

nea est ; nam si quid sperandum sit, hoc potius a naturae viribus , quam ab arte expectandum. Etenim illa corporis constitutio , quae erat adolescentiae tempore imbecilla , juventute adventante robustior fit. Quamobrem linquenda non sunt remedia , et regulae diaeteticae , quae faciunt corpora robustiora , quamvis ut repetam plerumque non faustos habeant exitus. Formosa juvenis bono genere nata , plethorico temperamento praedita , quamvis summopere fabulis , carminibusque milesiis delectabatur , et etiam opipare viveret, nullo pereita amoris stimulo , nunquam in aliquem inclinatione voluntatis propendebat. Tamen parentes eam cum venusto et valenti juvene matrimonio jungere voluerunt. Verum cum nullam in coitu voluptatem perciperet , quin coitum ipsum fastidiret , non neglexit optimus vir eam plurium urbis medicorum curationi subjicere, et etiam a pluribus Europae medicis doctrina et experientia celeberrimis consilium petiit ; sed incassum. Quaevis enim curatio non bene successit , et mulier conju-

galibus amplexibus insensibilis, permansit infoecunda. Cum vero anaphrodisia nascatur a caussis accidentalibus, saepe has sufficit subducere. Homines studiis, literisque dediti, et vitam sedentariam ducentes, ut sunt caussarum actores, non raro hoc morbo laborant, sed si hunc vitae tenorem relinquant, convalescunt. Cum hujusmodi caussae accidentales ut plurimum debilitantes sint, utilia sunt balnea generalia tepida aut ex aqua communi, aut minerali, aut marina; balnea quoque localia, maxime ex decoctione seminis sinapis; remedia tonica, ut chalybeata, cortex peruvianus, cinnamomum; congrua corporis exercitatio, praesertim ambulatio, et equitatio; absoluta animi quies; rusticatio; itinera; optimus victus. Si tandem anaphrodisia symptomatica sit, consideratio primarii morbi exhibet normam dirigendi curationem. Sic mea nervorum morbis extrema manus accedat.

FINIS TOMI NONI

INDEX

NIHIL OBSTAT

Fr. Augustinus M.a Ferrara Generalis Carmelitarum Calceatorum Publicus Sac: Theol: Moral: Professor in Romana Studiorum Universitate, Collegii Theologici Decanus, et Censor Theologicus.

NIHIL OBSTAT

M. A. Poggioli Publicus Medicinae Professor in Romano Archigymnasio, et Collegii Medico-Chirurgici Vice-Praeses etc.

IMPRIMATUR

F. Augelus V. Modena O. P. S. P. M. Socius

IMPRIMATUR

Joseph Canali Patr. Constant. Vicesgerens.

PREZZO DEL PRESENTE VOLUME

Bajocchi 60.







